

Narodna in univerzitetna knjižnica
v Ljubljani

153223

38

XII.

04

~~XI. T. h. s.~~

3389 F. 8. 8

DISTINCTIO
EX NATURA REI
FORMALIS ACTUALIS
SCOTISTICA

Contra novos ejus Impugnatores vindicata & defensa

CUM

QUODLIBETIS
THEO-SCOTO-
LOGICIS.

PRÆSIDE

P. F. MAXIMO RUESCH
Ord. Min. S. Francisci Reform.

SS. Theologiæ Lectore Ordinario, &
Provinciæ Diffinitore Actuali.

PROPUGNANTE

P. F. BASILIO BATTAUZ ejusdem
Ordinis & Studij Alumno.

Labaci in Ecclesia Beat. m^a Virginis
in Cœlos assumptæ.

CUM FACULTATE SUPERIORUM.

Anno M. DCC. XVII. Mense Julij Die

LABACI, Formis J. G. Mayr, Inc. Prov. Carn. T.


153223 153223 216
030051950

Cum præsens Tractatus binarum controversiarum, quarum prima distinctionem ex natura rei formalem in creatis, altera in Divinis tuetur, ex commissione nostra revisus nihil fidei Orthodoxæ, aut bonis moribus dissonum contineat, imd difficultates in ijs occurrentes clare, & solidè dissolvat, Concedimus hisce Licentiam, ut imprimatur. In quorum fidem, &c. Ex Oficio Episcopali Labaci 9. Junij 1717.



Joannes Jacobus Schilling SS.
Theologiæ Doctor, Proto-
notarius Apostolicus, Vica-
rius Generalis Labacensis.

N 866/1971



P R A E F A T I O.


Mice Lector. Nihil sub sole novum,
nec valet quisquam dicere : Ecce
hec recens est : jam enim præcessit
in seculis quæ fuerunt ante nos.

Ecclesiast. c. 1. v. 10. Et quid est,
quod fuit? ipsum, quod futurum est : quid est,
quod factum est? ipsum, quod faciendum est.
Non evulgo proinde has pagellas, quasi quid novi
sub sole, cum dudum subtilis Academia studiose
attemperata ab adversantibus, tam Veterum,
quam Recentiorum jaculis, & maximè paucis ab
hinc annis in Universitate Anglipolitana distinctio
hæc formalis Academicè provocata, à meo, quon-
dam ad Religionem Seraphicam feruido Directore
strenuè ac Scotisticè vindicata fuerit ; nec hæc scribo,
ut pungant, aut obruant, quamvis forsitan surgant
ac urgeant ; quia minimè decet Viros Religiosos
hispida in disputationibus proferre verba, maximè
Sanctissimæ Paupertatis Sectatores, quibus Patriar-
cha Noster Seraphicus D. Franciscus hoc monitum
in testamento suo observandum reliquit ; debe-
mus honorare, & venerari Theologos, sicut qui
ministrant nobis spiritum & vitam. Quod man-
datum præ oculis semper habere volo, omnesque

in hoc passu Adversarios colo ac veneror , ut fin-
cerè de quolibet eorum dicere valeam , oppro-
bria exprobrantium tibi ceciderunt super me.
Sed quia distinctio formalis actualis vix non est
unicum , vel certè præcipuum Scholæ nostræ sym-
bolum , & per universam tam Philosophiam , quam
Theologiam in pluribus materijs firmamentum ,
Statui inhærendo vestigijs Scotisseclarum rursus
eandem manuteneare , ac contra identidem pullu-
lantes Adversariorum insultus tūm philosophicos ,
tūm theologicos , non quidem offensivè pellere , sed
amicabili defensivā pugnandi methodo pro viribus
modestè tueri , ut & bujus nostræ Provinciae stu-
dentes ad manus habeant rem & Philosophis , &
Theologis propriam , hācque ratione , quid revera
Doctor subtilis & sui sentiant , vel pateat magis ,
vel patientur magis .



CON-



CONTROVERSIA I. PHILOSOPHICA.

*De Distinctione ex natura
rei formalis in creatis.*

I.

Quemadmodum Scotistæ omnes in asserenda distinctione formalis ex natura rei actuali unanimiter conveniunt, sic & Adversarij nostri communiter eam reijcientes, in varia tamen abeunt sentimina, vocantes eam jam chymericam & impossibilem, jam improbabilem, & imperceptibilem, jam (si daretur) strictè realem, imò in Concil. Rhemensi cum errore Gilberti Porretani Episcopi Piëtaviensis Damnatam. Nec mirum, quia, ut pronuntiat Satyricus, *pro captu Lectoris habent sua fata Libelli.* Hinc sit.

A

Quæ-

QUÆSTIO I.

Quid sit distinctio ex naturæ rei formalis actualis?

2. **P**ro intelligentia Quæst. Notandum cum communi Philosophorum distinctionem ut sic primò dividi in distinctionem ex natura rei realem, & in distinctionem rationis. *Distinctio ex natura rei realis est unum non esse aliud independenter ab operatione intellectus.* *Distinctio rationis est unum non esse aliud per considerationem intellectus.* *Distinctio ex natura rei subdividitur in realem strictam, & in distinctionem realem formalem, quam vocamus medium inter distinctionem realem, & rationis.* *Distinctio strictè realis est illa, quæ absolutè datur inter rem, & rem, ut inter Petrū, & Paulū, vel inter rem & modum ejus, ut inter sedentem, & sessionem ejus, quæ solet etiam dici modalis.* *Distinctio formalis est illa, quæ datur inter duas formalitates realiter absolutè identificatas, vel inter ea, quibus realiter identificantur, sic ut unum excludat aliud à suo conceptu formali, v. g. inter animal & rationale, quæ licet in homine realiter absolutè identificantur, unum tamen excludit aliud à suo conceptu formali.*

3. *Dixi vel inter ea, quibus realiter identificantur, quod addo ad significandum hanc distinctio-*

distinctionem reperiri etiam inter naturam completam, & suas proprietates; Item inter naturam, & suam differentiam individualem, inter Naturam Divinam, & illius substantiam, &c. Quæ non sunt propriè formalitates, cùm Natura Divina, ut alibi, sit actus purissimus in ratione Essentiæ. Hinc illa distinctionis extrema, quæ totam important essentiam, non rectè vocantur formalitates; Licet non desint formalistæ qui formalitatem distinguunt in totalem & partialem, quod tamen minus placet.

4. Nec indè sequitur (ut nuperus quidam voluit) distinctionem inter naturam, & suam hæcceitatem, subjectum, & proprietates, Essentiam Divinam, ejusque substantiam esse strictè realem, essentialē, aut saltem mixtam, quia distinctio illa est inter extrema, quorum unum saltem habet propriam existentiam. *Non sequitur*, inquam, quia distinctio formalis non solum est inter formalitates, sed etiam inter realiter identificata, & habentia eandem existentiam, uti in proposito sunt subjectum & ejus passio, natura & hæcceitas, &c.

5. Alij præter Scotistas nullatenus dividunt distinctionem realem ex natura rei, sed tantum admittunt distinctionem realem strictam; Dividunt tamen rationis in distinctionem rationis ratiocinantis, & in distinctionem rationis

ratiocinatæ. *Distinctio rationis ratiocinantis* dicitur illa, quæ fit ab intellectu sine aliquo fundamento in re, ut si quis distinguat Petrum à se ipso. *Distinctio rationis ratiocinatae* dicitur illa, quæ fit ab intellectu cum aliquo fundamento in re, ut dum concipitur, ajunt, aliqua entitas, quæ in re est unica, ac si esset multiplex, eo quod includat virtualiter seu eminenter aliquos effectus, aut aliqua prædicata, quæ seorsim possunt terminare cognitionem, licet inadæquatam & imperfectam, ut quando in homine concipitur ratio animalis, ut distincta à ratione rationalis, quæ distinctio ab aliquibus vocatur fundamentalis in re, ab alijs vero virtualis, & formalis actualis solum per intellectum. Hæ sunt divisiones distinctionis magis usitatæ in Scholis ad nostrum propositum.

6. Hinc dum Adversarij dicunt omnem distinctionem, quæ datur ex natura rei esse realem juxta ferè reliquos omnes præter Scotistas, ineptè hos excipiunt, qui æquè fatentur omnem distinctionem ex natura rei esse realem, vel simpliciter talem, quæ est inter rem & rem, vel secundum quid talem, quæ est inter realitatem, & realitatem, seu formalitatem, & formalitatem, sumpto vocabulo diminuto à re & formâ totius.

7. Nec obstat, quod communiter vocetur etiam *distinctio media*. Dicitur enim *media* non

per

per participationem utriusque extremi, quasi aliquid participaret de distinctione simpliciter reali, & de distinctione rationis, ut rursus quidam falsò imponunt Scotistis, sed dicitur media per abnegationem utriusque extremi; quia scilicet nec est inter rem, & rem, sicut est distinctio strictè realis, nec inter extrema per rationem tantum diversa, sicut distinctio rationis; sed est inter formalitates, & realitates, &c. Ante omne opus intellectus alias, & alias. Hinc etiam est distinctio minor strictè reali, & major distinctione rationis, atque sic iterum quasi *media*; semper tamen ex natura rei, seu realis, seu secundum quid, seu (quod idem est) *realis formalis*: quia ut dixi, non versatur inter rem, & rem. Sed quid nomine rei, & realitatis apud nos intelligatur? sit.

8. Conclusio 1. Nomine rei strictè sumptæ intelligitur *ens verum existens*, aut *subsistens per propriam existentiam*, aut *subsistentiam*, vel certè *capax sic existendi*, aut *subsistendi*. Quia nomen rei potest sumi tripliciter. 1. Pro omni eo, quod existit in rerum natura, ita ut habeat propriam existentiam, per quam potest existere sine alio, sive sit substantia, sive accidentis, ut hic homo, hic lapis, &c. 2. Pro eo, quod existit quidem in rerum natura præter opus intellectus, & potest etiam ab alio separari,

parari, sed non existere separatum sine illo, in quo est, & tales sunt modi extrinseci, qui rea-
liter insunt rebus, & subjecta eorum possunt
esse sine illis, sed non isti sine suis subjectis, un-
dè non sunt tām res, quam modi rerum, &
consequenter hæc significatio rei est minùs
rigorosa. 3. Sumitur adhuc minùs propriè,
& significat ea, quæ insunt quidem rebus in-
dependenter ab omni operatione intellectūs,
sed sunt adeò infixa rebus suis, ut nec res sine
illis, nec illa sine rebus ullo modo, nè divini-
tūs quidem possint existere, nec illa inter se
separari, ut sunt intellectus, & voluntas in
Angelo, Essentia & Paternitas in D E O, &c.
Mastrius definit rem Disp. 6. met. q. 7. art. 2.
n. 160. *Esse id, quod per veram efficientiam, &*
physicam causalitatem accipit esse, sive dein solita-
riè extere possit, sive non. Super rem primo &
secundo modo descriptam fundatur distinctio
strictè realis, quæ proin requirit extrema, quo-
rum utrumque sit verum ens existens, aut
subsistens per propriam existentiam, aut sub-
sistentiam.

9. Ex quo patet falsum esse, quod signum
universale distinctionis strictè realis (ut sibi
quidam sinistrè persuadent) sit capacitas veri-
ficandi duo prædicata contradictoria inter
duos conceptus objectivos quomodo cunque.

10. Conclusio 2. nomine formalitatis seu
rea-

realitatis intelligitur ratio quædam, quæ in se considerata non est res, quia non potest per se existere, sed est aliquid rei, non sicut materia & forma sunt aliquid compositi; sed per identitatem, quatenus est aliquis gradus metaphysicus essentiæ rei, ideoque vocatur formalitas, seu realitas, aut, quod idem est, aliquid, seu aliquid rei; undè solet describi à Scotistis: *Formalitas est ratio objectiva conceptibilis in aliqua re conceptu perfecto, & adæquato distinctio à conceptu, quo concipitur alia ratio objectiva ejusdem rei.* Formalitas sic sumpta fundat distinctionem ex natura rei formalem, tò *formalem accipiendo non per intellectum, sed ex natura rei objectivè, velut aliquid ejus ante omne opus intellectus, sed quasi diminutè, & minùs quam realiter strictè.*

II. Et in hoc sensu inquit Doctiss. Car-muel in sua metalogia Lib. 3. de distinctionibus Disp. 3. art. 3. n. 221. *Hodiè ut video, distinctionis formalis Thomistica communior est, &c. Sed quia Scotisticam clariorem & veriorem existimo, volo illam speciali studio propugnare.* Sanè ista distinctionis formalis ex natura rei rejecitur omnino à Thomistis, & Jesuitis: defenditur à Scotistis, & curiose à Fonseca. Hurtadus met. Disp. 6. sect. 3. §. 51. conqueritur, quod non viderit apud Scoticos distinctionis istius aliquam aut definitiōnem, aut expositionem: ergo prius ivit ad cœlum

Hurtadus, quam Thomistas, aut Scotistas intellexerit jam in verbo (sic spero) omnia videns non egit nostris commentarijs: qui alijs pluribus proderunt, ne cum Hurtado conquerantur, & alijs, qui non capiunt eam, de quibus pergit Carmuel L. c. video multos hodie gloriari Scotistarum nomine, qui Scotistarum subtilitates intelligere nolunt, aut non possunt: multos sub D. Thome Labaro ejus mentem assequi: multos, qui conciliare oppositas Scholas volunt, undā arenas miscere, & opiniones contrarias confundere: Ergo etiam ex mente Doctiss. Caramuelis distinctio formalis ex natura rei actualis non coincidit cum illa Thomistica, aut Recentiorum.

12. Porrò identitās realis ab omnibus communiter divisa in genericam, specificam, & numericam (ut taceam priores duas identitates, quomodo *homo*, & *leo* sunt unum ac idem in genere, licet loco, tempore, & subiecto separati; quomodo Petrus, & Paulus sunt unum & idem specie) de sola hic identitate numerica sermo est, eamque subdividimus in numericam realem, & formalem. *Numerica realis est, seu realiter eadem sunt, quorum entitas existens, aut subsistens, per propriam, existentiam, aut subsistentiam est una.* Identitas enim est plurium, aut quasi plurium unitas in essentia, existentia, aut subsistentia, ut habet Arist. I. met. c. 16. *Identitas est quadam unitas*

tas plurium essendi. Sic plures in eadem re formalitates realiter sunt identificatae, quia sunt una realiter entitas propter unam entis veri propriam existentiam, &c.

13. Identitas formalis est plurium, vel quasi plurium per conceptum duntaxat, vel solo nomine diversorum in essentia unitas: & iste est supremus gradus identitatis, seu summa identitas, cum fundet consensum in omni prædicato æstimabili; at identitas realis minor nec fundat consensum in omni prædicato formaliter. Et sic quasi à priori describitur identitas realis numerica: quasi à posteriori vero realiter eadem dicuntur, quæ sunt ab invicem prorsus inseparabilia, nec se habent ut producens & producendum, ut causans & causatum, nec aliam similem oppositionem. Hinc sicut signum distinctionis realis apud nos est separabilitas à parte rei, actualis, vel potentialis, vel proportionalis; ita signum identitatis realis à posteriori est inseparabilitas talis. Hæc præmittenda erant praeterea intelligentia rei, & realitatis, distinctionis realis, & ex natura rei formalis; identitatis realis & formalis. Sed

14. Dices cum Adversarijs, non posse Scotistas absque contradictione distinctionem strictam realem constituere in diversitate existentiarum. Nec dicere res plures esse, quæ habent plures existencias, quia tunc etiam formalitates, &

realitates essent plures res, & distinctio inter eas foret strictè realis, utpotè inter entia habentia diversas, & proprias existentias, communior enim Scotistarum tribuit singulis formalitatibus propriam existentiam: ergo. *¶.* negando ant. quoad utramque partem. Prob. dist. tunc etiam formalitates essent plurares res, & distinctio inter eas esset simpliciter realis, si illi Scotistæ singulis formalitatibus tribuerent existentiam adæquatam, cui scil. corresponeat integra series, & tota collectio graduum prædicamentalium à supremo usque ad ultimum individualem inclusorum conc. antec. Si autem tribuant singulis formalitatibus tantùm existentiam inadæquatam, seu talem, cui non corresponeat integra series, & collectio graduum esentialium nego antec. Dato ergo etiam, quòd singulæ formalitates juxta communem Scotistarum singulas haberent existentias; adhuc malè inferunt Adversarij, eos non posse sine contradictione constituere distinctionem strictè realem in diversitate existentiarum: constituant enim eam in diversitate existentiarum, sed talium, quibus correspondet integra semper series & collectio graduum entis citra omnem contradictionem.

15. Porrò quòd singulæ formalitates non habeant proprias existentias verius visum est Maistro, aliisque Scotistis, vel exinde, quia id,

quod

qnod existit, est terminus physicæ causalitatis, vel actionis, seu etiam ut quidam loquuntur *Physicæ emanationis*, quomodo formalitates non possunt per se immediatè esse terminus causalitatis physicæ. Tùm quia ex Scoto & alijs existentia dicitur ultimus actus eò, quòd supponat essentiam constitutam secundùm omnes actus metaphysicos differentiarum, etiam individualium: ergo non cuilibet formalitatì correspondet propria existentia. pr. con. Quia si cuilibet corresponderet propria existentia, jam non supponeret totam coordinationem prædicatorum, & actuum met. cùm aliquæ formalites dentur priores & posteriores in tali coordinatione. Sed

16. Instant. Essentia non distinguitur realiter ab existentia: ergo cuilibet essentiæ correspondet propria existentia: sed quælibet formalitas habet propriam essentiam distinctam formaliter ab essentia alterius formalitatis: ergo tali essentiæ correspondet propria existentia etiam formaliter distincta ab essentia alterius formalitatis. R. Quòd essentia possit dupliciter considerari. Primo pro re, cui non repugnat existere, & quæ potest esse terminus actionis productivæ, & in hoc verum est primum enthymema; sed falsa est minor subsumpta, quia nulla formalitas per se potest esse terminus alij actionis productivæ, aut physicæ emanationis.

tionis. Secundo pro quacunque ratione essentiali, in quo sensu dicimus formalitates habere propriam essentiam: quia quidquid est, eo modo, quo est, habet suam essentiam, cum nil possit esse sine sua propria, & intrinseca ratione essentiali. Sed ut sic falsum est primum consequens, scil. Quod cuilibet essentiæ correspondat propria existentia. De hoc redibit sermo. quæst. seq. Nec per hoc volo claudere viam, ut quilibet Scotista defendat modum quemcunque voluerit, cum etiam alter sit probabilis, & repertus apud Scotum.

Q U Æ S T I O II.

*An sit possibilis distinctio formalis
Scotistica media inter simpliciter realem & rationis?*

17. EX Scotistis vix est, qui hanc tractet quæst. Sed se figunt in fide Magistri, ex quo, dum probant illius actualitatem, supponunt certò possibilem. Quia tamen Recensiones distinctionem ex natura rei formalem in sensu à nobis relato quæst. præced. negant, possibilem videl. I. inter formalitates, quæ non sunt à se invicem separatae actu, vel potentia, vel proportione, idest, quæ non sunt actu se-

para-

paratæ, nec possunt separari, nec se habent proportionaliter ad modum separatorum, velut producens & productum, causa & causatum. 2. Inter formalitates, quæ non habent proprias existentias, nec possunt immediatè terminare aliquam actionem physicam, talem dico, distinctionem inter ejusmodi formalitates assertur adversarij impossibilem, cum credant. 1. Saltem divinitûs similes formalitates à se invicem separabiles. 2. Cuilibet realitati actuali respondere propriam existentiam, & 3. Quamlibet realitatem creatam, eo ipso, quod non sit à se, sed ab alio, posse immediatè terminare, ac debere aliquam actionem physicam. 4. Non possunt percipere, quid sit illa resultantia, aut dimanatio metaphysica, quam Scotistæ formalitatibus attribuunt? in hoc sensu negant Adversarij possibilitatem distinctionis ex natura rei formalis. Contra quos sit.

18. Conclusio: nec formalitates in eadem re plures, nec distinctio ex natura rei formalis inter easdem est impossibilis. ita Scotistæ omnes. Nec hæc habet aliam difficultatem, nisi, quod Adversarij nolint intelligere, quod detur à parte rei præcisio identitatis, quæ non coincidat in ejusdem negationem simpliciter v. g. quando Scotistæ dicunt Intellectus Divinus distinguitur à Voluntate Divinâ, &c. Quia Intellectus tantum est In intellectus, seu ex natura sua non

non habet, quod sit voluntas, alias id etiam
haberet intellectus creatus, putant, quod par-
ticula taxativa tantum necessariò involuat sim-
pliciter, etsi tacitè negationem voluntatis, quid
enim est intellectum tantum esse intellectum, &
non voluntatem, seu præscindi hunc à volun-
tate, nisi hunc non esse voluntatem **ex natura**
rei? Sed

19. Errant toto cœlo, non attendentes,
quām diversimodè in similibus propositionibus
sumatur *tò est*, vel *non est*, & quod alia sit plu-
ralitas secundūm quid, alia pluralitas simplici-
ter, quæ in una propositionum exprimit sen-
sum simpliciter negativum, in altera verò tan-
tum secundūm quid, cum modificatione & ad-
dito *tò formaliter*, dicendo v. g. animalitas Petri
formaliter non est rationalitas. Hinc distin-
ctio inter res habentes proprias existentias jure
merito retinet vocem sui superioris, quod di-
catur propriè & simpliciter realis, sicut negatio
quæ ut sic rectè dividitur in privationem, & in
negationem particulariter dictam, retento scilicet
sui superioris nomine, dicitur negatio, qua
non est confundenda cum privatione propriè
dicta, esto sit etiam suo modo negatio; ita licet
distinctio, quæ non est inter res simpliciter ta-
bles, esto sit latè identicè, seu participative rea-
lis, attamen est tantum inter duas unius essen-
tiae rationes formales, vel inter extrema ex-
tralit

natura rei quidem alia, & alia, in sensu explicato, id est, manendo inter se realiter identifica-
ta, minimè tamen est realis simpliciter, accepto
reali in sensu dicente *rem* & *rem*, proprijs existen-
tijs existentes, ut quilibet, nisi ambos oculos
claudere velit, videre possit, rationē genericam
ad utramque distinctionem in eo consistere,
quod utraque requirat discretionem extremo-
rum ante intellectum cogitantem ; formale
autem constitutivum & distinctivum *realis sim-*
pliciter à distinctione formalī consistere in eo,
quod illa sit inter *rem* & *rem*, quibus alia cor-
respondet existentia, vel subsistentia, ut in
Divinis, posito, quod tres subsistentiae Divinæ
unicā existerent existentiā ; ubi *existentia* sub-
jecti reciprocatur in prædicato, ac si diceres,
hoc, quod cum alio realiter existit, illud non
est formaliter illud, quæ simul stant excluden-
do à se distinctionem aliam rigidè realem.

20. Itaque ratio à priori seu differentia con-
trahens distinctionem actualem ante intelle-
ctum ad constituendā distinctionē realem, est di-
versitas rerum, & simpliciter talis nata existere
per propriam existentiā extremerū physica sui
causalitate producibilium; è contrà *distinctionis*
formalis constitutivum, quæ opponitur distin-
ctioni *simpliciter reali*, est diversitas rationum
formalium duntaxat metaphysicalium, seu plu-
ralitas cum identitate reali extremerum in uni-
ca

ca entitate adæquatè conceptibilium, & unicâ existentiâ existentium. Jam

21. Pr. formalitas ex dictis est positiva rei inadæquatè sumptæ perfectio vel aliquitas, propria ratione determinans ad tale esse, seu faciens effectum formalem, incapax existendi, aut subsistendi per propriam existentiam, aut subsistentiam, sed tales positivæ rei inadæquatè sumptæ perfectiones, quæ tamen nec sunt separabiles, nec producuntur à se invicem, nec terminant in immediatè actionem physican, habentque existentiam totius, per quam existunt, non autem aliquam propriam; tales inquam sunt possibiles: ergo. Pr. min. quia nunquam demonstrabitur impossibile esse, ut in una reduæ rationes entis sint, quæ faciant suum prouerbiū, & determinatum effectum formalem, & non habeant singillatim suam propriam existentiam, &c. Sed existant per unam illius rei existentiam: ergo sunt possibiles. Pr. ant. omnes perfectiones in homine, uti ratio substantiæ, ratio viventis, ratio sentientis, discurrentis, &c. Sicut & in Angelo intellectus & voluntas individuantur unâ individuatione v. g. petreitate, Michaëleitate, & producuntur hæc omnia unicâ productione petri, aut Michaëlis; num quid enim est producere, nisi dare existentiam? si & produci, nisi accipere existentiam? si ergo productio est una; etiam existentia erit una, merita omnes rei perfectiones simul existunt.

22. Confr. 1. Deus, qui non fingit distinctio-
nes rationis, sed distinctè, & perfectè penetrat
universa, eorūmque convenientias, & differen-
tias, utique attingit convenientiam, & differen-
tiam inter hominem, & brutum, non enim illa
concipit in tota essentia differre; quia sic vel
homo, vel brutum non esset animal; neque in
tota essentia convenire; quia tunc non minùs
brutum, quām homo esset animal rationale:
ergo nisi concipiatur animal & rationale non esse
idem omnino à parte rei, non concipit discrimen
inter brutum & hominem, nec convenientiam inter illa, nec ullarum rerum, quod
est paradoxum.

Confr. 2. etiam nos homines communiter
præter actualitatem existendi, quām primò
cognoscimus in rebus, quæ immediate mo-
vent sensus, & his mediantibus phantasiam &
intellectum, agnoscimus aliam actualitatem
essentiæ talis vel talis, quâ conamur satisface-
re quæstionibus *an sit* & *quid sit*, vel *quale sit*
illud, de cuius existentia jam sumus certi; er-
go ex identitate existentiæ non rectè infertur
identitas formalis aliarum rationum forma-
lium; conseq. datur pluralitas talium ratio-
nibus; num essentialium, quæ spectant ad quæst. *an*
fit, *quid fit*, ac *quale fit esse rei*, circa quas ra-
gione, nè inaniter versentur philosophi, nec
meras captent rationis muscas per suas de-

monstrationes, divisiones, & definitiones; & ne appetitum naturalem sciendi nobis innatum in objectis scibilibus fraudulent, frustren turuè; certè non tam possibilis, quām actu dubilis erit aliqua pluralitas formalitatum, & aliqua distinctio inter eas; non autem alia potius, quām Scotica: ergo.

24. Conf. 3. ex ipsa RR. confessione, e quibus hæc formalia desumo: *Per gradus metaphysicos intellige prædicata quædam essentialia eidem individuo convenientia, & inter se ordinem quemdam habentia: exemplum sit in Alexandro de quo rectè dixeris, quod sit materialis, quod vivens, quod sit animal, quod sit rationalis, quod sit hic. Prædicata hujusmodi dicuntur gradus; qui per ipsa itur gradatim in consideratione objecti: dicunturque gradus metaphysici; quia constituant compositionem quamdam reperibilem, etiam in ijs, i quibus nulla datur compositio physica, puta, in substantijs, pure intelligibilijs, in Angelo enim considerari possunt plures rationes v. g. quod sit substance, quod sit intellectivus, quod sit Michael, &*

25. Ex quibus sic infero: ergo cùm secundum Adversarios gradus metaphysici sint quædam prædicata essentialia eidem individuo convenientia, & inter se (non per intellectum ordinem quemdam habentia: quæro an hæc prædicata essentialia ab ipsis in plurali confessione & ordo, quem inter se habent, sint à parte rei antio opu

opus intellectus, vel non? si primum, ut fateri debent, habetur intentum, quia pluralitas & ordo à parte rei, utique inferunt distinctionem à parte rei, alias idem à parte rei esset unum & multa secundū eandē rationem, prius est posteriorius, quod impingit ad prima philosophiæ principia. Si secundū sequitur. 1. Angelum Michaëlem v. g. non habere plura prædicata essentialia à parte rei contra propriam illorum confessionem. Sequel. pr. Si illa prædicata essentialia non sunt à parte rei, necessariò per ipsos debent esse per intellectū (cùm etiam juxta illos ens prima sui divisione dividatur in ens reale, & rationis) ergo prædicata essentialia Angeli erunt rerum opus intellectus. Hinc sequitur 2. Angelum esse ens merè fictitium, quia Angelus debet esse talis; qualia sunt ejus prædicata essentialia & constitutiva (nequit enim essentia realis constitui per conceptus rationis) sed prædicata essentialia forent meri conceptus Angelo ab intellectu. R. R. affixi. Vel certè Angelus esset à parte rei in prædicatis intrinsecis ita simplex & incompositus, sicut Deus, quod rursus est contra Adversarios admittentes in Angelo compositionem metaphysicam, & negantes hanc in Deo. Nec valet cum iisdem Adversariis dicere Angelum esse componibilem cum intellectu, & volitionibus; quia compositione hæc non est metaphysica, &c.

26. Conf. 4. Videl diversis illis conceptibus inadæquatis intellectus R.R. respondent in entitate Angeli, licet realiter indivisibili, conceptus objectivi formaliter & actus distincti, vel non respondent? si respondent, stat intacta veritas nostræ probæ; si non respondent, ergo Angelus nullo cogitante intellectu non erit verè & formaliter substantia, vivens, intellectivus, &c.

27. Conf. 5. Qui Angelum inadæquatè concipit, reverè aliquid Angeli apprehendit; alias Angelum non inadæquatè, sed nullo modo conciperet: sed qui aliquid Angeli concipit aliquid, quod verè & realiter est in Angelo apprehendit: ergo conceptui formalis, quem intellectus habet de Angelo inadæquatè considerato prout est vivens, intellectivus, &c. respondet in Angelo conceptus objectivus, id est ipsamet ratio formalis viventis, intellectivi, &c. ita ut qui eas actu & formaliter inesse Angelum negaret, totam ejus naturam everteret; qui enim est Angelus sine ratione substantiæ, viventis, & intellectivi? jam pergo ad rationes Adversariorum ab initio quæst. præced. n. 17. hæc propositas, &

28. Ad 1. q. Ideò formalitates esse inseparabiles etiam divinitus; quia, quod semel est resu idem, semper est idem. Tùm quia essentiæ rerum metaphysicè sunt immutabiles, indivisæ itaq;

& invariabiles; sed mutarentur & variarentur per separationem etiam unius gradus essentia-
lis. *Tum* denique propter essentialiem istorum
graduum subordinationem, ac superiorum ad
inferiores præsuppositionem.

29. *Rq.* *Ad 2.* negando cuilibet formalitati de-
bere correspondere propriam existentiam, si
enim possunt divinitus duæ naturæ completæ
subsistere unâ & eâdem subsistentiâ Verbi; tunc
non erit impossibile plures formalitates rei exi-
stere unâ existentiâ rei, cujus sunt perfectiones.
Tum quia omnes formalitates rei producútur &
conservantur unica productione, & omnes sin-
gularizantur una singularitate v. g. petreitate:
ergo etiâ possibile est, ut existant unâ existentiâ.

30. *Ad tertiam rationem negandi patet;* quod
formalitates immediate non terminent actionem
physicam; non enim intellectus aut vo-
luntas in Angelo, vel anima, nec animalitas vel
rationalitas in homine sunt immediatus terminus
actionis creativæ, aut productivæ; sed An-
gelus, anima, homo, qui habent intellectum &
voluntatem, animalitatem & rationalitatē, &c.
hæc postmodùm resultant. Per hoc

31. *Patet ad 4.* Ubi querulantur Adversarij
non esse perceptibilem, aut explicabilem illam
resultantiam, seu dimanationem metaphysicam,
quam Scotistæ tribuunt formalitatibus. Dico
itaque, quod dimanatio illa nihil aliud sit, quam

ratio aliqua prior respectu alterius ex natura
 rei, sicut juxta Scotum 1. dist. 3. q. 7. passiones
 emanant à subiecto, & in 2. dist. 16. q. un. po-
 tentiæ ab anima, quatenus videlicet subiectum
 est prius prioritatem essendi, quam passiones, ani-
 ma prior, quam sint potentiaæ, ut adeò subje-
 ctum, essentia, anima sint ratio prior respectu
 passionum, proprietatum, & potentiarum. Pa-
 ter Mastrius Disp. 6. met. q. 7. n. 16. declara
 eam sic, etiam ex principijs ab Adversarijs con-
 cessis: Omnes concedunt, demonstrationem pro-
 pter quid procedere ex primissis, quæ sunt cau-
 sa conclusionis, nedum in cognoscendo, sed etiam in
 essendo, & sic rationalitas dicitur esse causa risi-
 bilitatis, & hanc bene per illam propter quid de-
 monstrari; quia rationalitas nedum est causa, u-
 cognoscatur risibilitas, sed etiam ut sit & existat in
 rerum natura. Unde rationalitas non tam dici-
 tur causa, quam ratio prior respectu alterius risi-
 bilitatis scilicet. Sed

32. Dices contra respon. ad 2. rationem ne-
 gandi. implicat dari duas formalitates, qua-
 non habeant propriam existentiam; sed si ha-
 bent propriam existentiam, jam sunt realite-
 distinctæ ex dictis, ergo pr. maj. quia existentiæ
 prout est existentia unius formalitatis v.g. intel-
 lectus, non est existentia alterius putà, volunta-
 tis, ergo multiplicatur existentia ad multiplicati-
 onem formalitatum. & nego maj. ad prob-

nego con. i. Licet enim eadem existentia faciat formaliter existere intellectum, & voluntatem, per hoc non infertur distinctio existentiarum in ratione intrinseca existentiæ, sicut non multiplicantur capacitates ejusdem vasis ob diversitatem liquorum, quos simul, aut successivè potest intra se continere.

33. *In statibus.* etiam ex propria confessione plurium Scotist. *existentia in re non distinguitur ab essentia, nec formaliter, neque ex natura rei,* & vix, nè vix quidem ratione, & conceptu, ut loquitur P. Baro noster. R. quod estò, quod aliqui Scotistæ prorsùs non distinguant essentiam & existentiam, & singulis formalitatibus tribuant propriam existentiam, ex hoc tamen non sequitur formalitates esse strictè realiter distinctas, quia non tribuunt eis existentias adæquatas, quibus correspondet integra collectio graduum essentialium, de quibus quæst. i. n. 14. & 15. R. 2. transeat iterum, quod quidam Scotistæ sic doceant, ut referuntur ab Adversarijs, sed nos, & alij non ita, sicut nec etiam omnes Thomistæ & R. R. in omnibus sunt sibi similes, & similiter docent, ita neque omnes in omnibus coincidunt Scotistæ.

34. Unde secundum nos existentia & essentia realiter strictè quidem non distinguuntur; quia non habent singillatim propriam existentiam, qua existant; nec propriam producibili-

tatem ; distinguuntur tamen ex natura rei formaliter. Ratio est ; quia licet Essentia Divina, & essentia creaturæ in hoc analogicè conveniant, quod utraque à nobis concipi possit non conceptâ explicitè existentiâ, & quo ad hoc sufficiat distinctio rationis, tamen ut sit verum **discrimen**, prout communiter & Philosophi, & Theologi agnoscunt inter Essentiam Divinam comparatam cum sua existentia, & essentiam creatam comparatam cum suâ, nimirum quod Divina includat in suo conceptu adæquato summam necessitatem existendi, sicutque actus purus : essentia autem creaturæ non includat in se existentiam, nec trahat secum necessitatem existendi, sicutque in potentia ad existendum, & non existendum, ut, inquam, verum sit hoc discrimen, opportet ut plūs distinguantur, quam per conceptus inadæquatos, maximè cum de eadem re creata possint verificari prædicata contradictoria v. g. *essentia est de quidditate rei, & reponibilis in prædicamento, fundatque propositiones necessarias : existentia non est de quidditate rei, nec reponibilis in prædicamento, fundatque propositiones tantum contingentes,* ergo st̄ting ad salvanda hæc contradictoria debet admitti aliqua distinctio ; non alia quam ex natura rei idem formalis, quam P. Mastrius disp. 8. met. q. 2. qu. num. 140. vocat ex natura rei formalem modalem.

35. *Urgebis.* existentia est actus, quo aliquid distinguitur à nihilo, & à merè possibili, & ponitur extra causas in se ipso, sed omnis essentia existens per se ipsam & suam entitatem distinguitur à nihilo, & merè possibili, & per se ipsam ponitur in se ipsa, ergo omnis essentia est sui existentia; quæ autem habent existentiam propriam & diversam, & distinguuntur antecedenter ad intellectum, illa distinguuntur strictè realiter, ergo. *Rq.* con. maj. & min. &c. verum enim est, quod omnis essentia existens per se ipsam distinguatur à nihilo, & merè possibili, licet existentia non sibi propria; sed sit illius rei, cuius formalitas est aliquid per identitatem. *Deinde* sicut intellectus & voluntas, alii que gradus metaphysici v. g. petri singularizantur per unicam & solam petreitatem à quavis ex natura rei formaliter distinctam, nec opus est, dari plures petreitates ad singulas perfectiones singularizandas; ita opus non est, dari plures existentias singulis formalitatibus debitas, sed sufficit una, per quam & illa res, & omnes formalitates ponuntur extra causas, & distinguuntur à nihilo, & merè possibili.

36. *Replicabis.* quandocunque aliqua sunt rei idem, multiplicato uno, multiplicatur & reliquum, alias idem esset plurificatum, & non plurificatum, sed existentia est realiter eadem cum qualibet formalitate, ergo hac multiplicatâ,

multiplicatur & existentia, seu res ac funda-
mentum, cui dicuntur immersæ per identita-
tem. R. dist. maj. multiplicatur etiam ipsa res
realiter per pluralitatem simpliciter nego maj.
formaliter per pluralitatem secundūm quid,
seu formalitatum con. maj. sicut ergo distinctio
hæc stat cum identitate reali, ita pluralitas for-
malitatum, seu secundūm quid, stat cum uni-
tate rei, nec unquam poterit ostendi repugnan-
tia, circum unitate simpliciter non possit stare
pluralitas secundūm quid.

QUÆSTIO III.

*An de factò detur distinctio ex na-
tura rei formalis?*

35. **A**D cognoscendam hanc distinctionē
solent à nostris assignari plures viæ,
nos tres tantūm proponemus, ad quas alia fa-
cile reducuntur. 1. est via contradictionis, quan-
do enim aliqua sunt realiter identificata, & de
ipsis absque aliqua intellectūs operatione veri-
fificantur duo prædicata contradictoria, tunc illa
distinguuntur formaliter. Ubi tamen sciendum,
quod talia prædicata contradictoria debent illis
convenire independenter ab aliqua extrinseca
connotatione, & in ordine ad conceptus per-
fectos, & in suo genere adæquatos; nam si so-
lūm

lum illis convenient per extrinsecas connotations, & in ordine ad conceptus imperfectos, non inferunt distinctionem formalem, ut patet in Voluntate Divina, quae dicitur volens, in quantum hominem ordinat ad gloriam, & dicitur nolens, in quantum hominem ordinat ad pœnam. Item eadem Divina volitio dicitur *efficax*, in quantum ordinat objectum ad existentiam, & *inefficax*, in quantum tendit in objectum, absque eo, quod illi absolute decernat existentiam, quae non inferunt distinctionem formalem, sed tantum diversa munera ejusdem formalitatis, licet habeant diversas denominations, & ex illis possint inferri praedicta contradictoria, eò quod talia praedicta convenient solum penes connotata extrinseca. *Idem* exemplificari potest in divinis; ubi subsistentia relativa, & paternitas est eadem formalitas, & tamen intellectus imperfecte eam concipiens, potest illi tribuere duo praedicta contradictoria, scil., quod conveniat Pater cum Filio in ratione subsistentiae relativæ, & non conveniat in ratione Paternitatis. Tunc ergo duo praedicta contradictoria inferunt distinctionem formalem, quando de aliquibus realiter identificatis verificantur in ordine ad conceptus perfectos & adæquatos, quibus perfecto cognoscens, circa aliquam entitatem cognitione intuitiva tendens cognoscit, quod de aliquo

quo illius entitatis verificatur unum contradictorium, quod de alio ipsius entitatis non verificatur, & econtra, ut patet de Essentia Divina & paternitate, quæ realiter identificantur in Patre, & de paternitate verificatur, quod sit incommunicabilis, quod non convenit Essentiæ, de hac verò verificatur, quod sit communicabilis, quod non convenit paternitati, & hoc à parte rei independenter à fictione intellectus; ipse enim Deus omnia intuitivè videns, ita se habere cognoscit.

38. 2. *Est via definitionis*; illa enim quæ realiter identificantur, & tamen adhuc diversis definitionibus essentialibus definiuntur, formaliter inter se distinguuntur. Dico *definitionibus essentialibus*; quia definitiones, quæ dantur per ordinem ad diversa munera, aut connotata non inferunt distinctionem formalem, quia tales definitiones potius dantur ad cognoscenda diversa munera ejusdem formalitatis, quam ad explicandam ejus essentiam, ut patet in intellectu, qui diversis definitionibus definitur respectu suarum trium operationum, & tamen non est multiplex, sed unica formalitas; idem est de voluntate respectu volitionis & nolitionis; & clarius patet in scientia DEI, quæ est una & simplicissima formalitas, & tamen diversa definitione definitur, ut dicitur scientia simplicis intelligentiæ, ac ut dicitur scientia visio-

nis, propter diversa connotata; nam ut scien-
tia simplicis intelligentiae respicit seu connotat
possibilia; & ut scientia visionis connotat
futura.

39. 3. *Est via reduplicationis*, quando scil.
aliquid alicui convenit à parte rei, & indepen-
denter ab intellectu secundùm unam rationem,
non verò secundùm aliam, tunc illæ rationes
formaliter ex natura rei distinguuntur; sic quia
homini, in quantum est rationalis, convenit
risibilitas, non verò in quantum est animal, in-
fertur in homine distinctio formalis inter ani-
mal & rationale: hoc semper intellige in ordi-
ne ad conceptus perfectos & adæquatos re-
spectivè.

40. Conclusio: inter gradus metaphysicos
ejusdem suppositi v. g. inter animalitatem &
rationalitatem petri; inter naturam specificam,
& differentiam individualem; inter intellectū
& voluntatem datur distinctio ex natura rei
formalis. Ita Scotistæ omnes colligentes id
primò ex Arist. 3. met. 10. ubi docet: *Genus*
esse extra rationem differentiarum. Item 7. met.
33. *Sicut se habet tota definitio ad totum defini-
tum, ita partes definitionis ad partes definiti:*
partes autem definitionis sunt genus & diffe-
rentia, ergo cùm definitum non habeat par-
tes, nisi per hanc distinctionem formalem, da-
tur talis distinctio; ex quo patet, quām peri-

pateticè loquantur Adversarij nostri volentes quodlibet ens esse simplex; Arist. autem vult quodlibet habere partes, ut jam vidimus, ergo.

41. Pr. 1. quibuscunque à parte rei ante opus intellectūs convenientia prædicata contradictioniā, illa à parte rei, & ante opus intellectūs distinguuntur; sed gradibus metaphysicis v. g. animalitati & rationalitati in petro, aliisque gradibus essentialibus; item naturæ specificæ, & differentiæ individuali; intellectui & voluntati ante opus intellectūs convenientia prædicata contradictionia, ergo à parte rei ante opus intellectūs distinguuntur, sed non distinctione strictè reali (ut fatentur omnes) ergo ex natura rei formaliter tanquam distinctione minore. Maj. fundatur in his principijs lumine naturæ notis: *impossibile est idem simul esse, & non esse. Necesse est idem simul esse, aut non esse. Quodlibet est, aut non est.* Pro majore robore argumenti.

42. Suppono I. ex communi Dialecticor. tunc verè esse contradictionem, quando affirmatur & negatur idem de eodem, secundūm idem, sub eadem ratione, in eodem loco, & tempore, &c. ut patet ex ipsomet Arist. Elench. c. 4. docente: *contradictionem esse ejusdem non nominis, sed rei secundūm idem, & ad idem, & similiter, & in eodem tempore, &c.* Unde si intra eandem rem sint rationes formales plures,

res, vera aliqua distinctione distinctæ, secundum quarum unam vera sit affirmatio & secundum aliam negatio, quantumvis minima sit illa distinctio, cessat repugnantia, & quæ apparebat contradictio, non est vera contradictio.

43. Suppono II. Quid sit salvare, verificari, tolli, seu vitare contradictionem? R. esse hoc; cum enim contradictoria non possint simul esse vera, & simul falsa; quia impossibile est idem simul esse, & non esse, distinctio deinde facit propositiones contradictorias, quæ aliundè simul non sunt veræ, esse veras tamen affirmativam, quam negativam; quia distinctio præstat, ut sine repugnantia cum primis principijs lumine naturæ notis paulò ante relativis, possit idem de eodem affirmari & negari; etenim respectu diversarum rationum formalium hæc fit, & quod affirmatur secundum unam rationem formalem, negatur secundum aliam, ideoque admissa distinctione non manet, quæ apparebat, contradictio, sed cessat, & sic contradictoria, quæ essent talia tolluntur, vitantur, verificantur, seu utraque redunduntur vera, non conservando contradictionem, sed salvando per admissam distinctionem, quæ intercedit. Hinc.

44. Suppono. III. Pro ulterius firmando majore principalis argumenti. Sicut impossibile est, idem simul esse & non esse: ita impossibile

possibile est idem de eodem secundum idem simul affirmari & negari: & si quis hoc principium negaret, non esset ratione impugnandus; sed igne tamdiu cruciandus, quamdiu confessus esset, non esse idem simul comburi, & non comburi, ut ait Doct. in 1. dist. 39. n. 13. ex Avicenna. Jam

45. Pr. min. plures propositiones possunt formari, in quibus idem verè affirmatur de gradu ipso essentiali generico v. g. animalitate, & verè neg. de gradu differentiali nature specifica constitutivo v. g. de rationalitate, ergo inter hos gradus essentiales inter animalitatem, & rationalitatem agnoscenda est aliqua distinctio ex natura rei, sed non realis, ergo formalis Scotistica. Ans. pr. de gradibus essentialibus seu animalitate & rationalitate. Nam *petrus convenit cum equo in animalitate, petrus non convenit cum equo in rationalitate, ergo gradus essentiales, animalitas & rationalitas non sunt omni- ni idem à parte rei, &c.*

46. Pr. ans. etiam de natura specifica, & pot differentia individuali; nam *petrus in natura ergo humana convenit cum paulo; petrus in inividuatione sua non convenit cum paulo.* Petrus est trad ejusdem naturæ, cuius est paulus, petrus non est per ejusdem individuationis, cuius est paulus &c. ergo natura specifica & individuatione non sunt licet omnino idem à parte rei.

47. Pr. ans etiam de intellectu & voluntate; quia *intellectus est potentia necessaria; voluntas est libera.* *Intellectus est principium intellectuum; voluntas volitionum.* *Intellectus objectum est verum aut verisimile; voluntatis objectum est bonum verum aut apparen.* *Intellectus & actus ejus est prior voluntate, & actu hujus; voluntas est posterior, sicut & actus ejus.* *Intellectus non est potentia cœca, & voluntas est cœca, &c.* ex quibus formari possunt contradictoria; ergo intellectus & voluntas non sunt idem à parte rei.

48. Conf. animal & rationale in homine, & non distinguuntur realiter, sunt enim partes constitutivæ illius essentiæ, quæ est realiter indistincta; nec etiam per solum intellectum, seu alias prædicata essentialia hominis, ejusque partes constitutivæ forent meri conceptus homini per intellectum assixi, & non partes essentiales, cum intellectus nihil producat in objectis, nisi solam denominationem extrinsecam, & sic distinctione rationalis ab animali esset chimerica, ut, & potè à solo intellectu singente dependens, ergo, &c.

49. R. i. aliqui ex Adversarijs præfatas contradictiones proposiciones salvare & verificaris esse per solam distinctionem virtualem, qua unum est virtualiter plura per meram æquivalentiam, sundicet fateantur hanc distinctionem virtualem non esse verè distinctionem, sed æquivalenter.

50. *Contra.* Ad verificandas sine repugnancia duas propositiones contradictorias requiritur aliqua vera non identitas, ut non affirmeatur & negetur idem de eodem respectu ejusdem; sed distinctio virtualis, quae non est vere & propriè distinctio actu & formaliter, neæquivalenter quidem est vera non identitas, ergo non est sufficiens &c. maj. patet; quia impossibile est utramque contradictionem simul esse veram aut falsam; & alias si non intercessioneret aliqua vera non identitas vel in subjecto, vel in prædicato, vel in conditionibus per se intelligendam veritatem affirmationis, vel negationis spe obiectum, idem verè de eodem, & respectu ejusdem affirmaretur, & negaretur, quod est impossibile. Pr. min. distinctio virtualis ab Adversarijs admissa non est vera distinctio actu & formaliter, sed est actu & formaliter summaenter identitas, aut illam præsupponens: at impossibile est summam identitatem, aut quod illarū negentur necessariò habet secum, esse æquivalenter non identitatem; quia impossibile est aliquier sub continere virtualiter sui contradictorium objectum aut æquivalere sui opposito maximè contradictorio, ergo distinctio virtualis æquivalenter quidem est sufficiens ad verifum A candas sine repugnantia propositiones contradictorias.

R. Negati

ari. § 1. q. 2. Alij ad verificandas has propositiones sufficere distinctionem rationis ratione. cinatae; quia propositiones contradictoriae, ejus idest, affirmatio & negatio ejusdem de eodem sunt operationes nostri intellectus, ideoque ne sufficere, ut non sint respectu ejusdem eodem modo concepti, sed respectu diversi modi eandem rem concipiendi. *Alij etiam* docent, sufficere ad salvandas has contradictiones propositiones dictam distinctionem rationis, non tandem ex eo, quod propositiones illae sint actus intellectus creati, sed ob fundamentum, quod spē objectum præbet intellectui illud diversis conceptibus cognoscenti, & quia ratio affirmandi eadem de eodem, non est fundamentaliter eadem ac ratio negandi. Sed

tu 8 § 2. Contra. Pleraque propositiones apparet enter contradictiones, seu quæ tales essent, si possidem de eodem respectu ejusdem affirmaretur illarum negaretur, sunt tales, ut vera sit tamen affirmatio, quam negatio ejusdem de eodem reali- qui er subiecto, ut est à parte rei, & non tantum ut objectum illarum substati intellectui affirmanti con neganti; ex eo enim, quod res est vel non est, ratio dicitur vera vel falsa, ut docent omnes veritum Arist. & veritas propositionis affirmativa etrapponit in objecto identitatem, aut connexio- em prædicati cum subiecto, veritas autem negativæ supponit negationem aut privatio-

nem prædicati cum subjecto : in objecto autem à parte rei non possunt simul in eodem subjecto esse, & non esse idem prædicatum, seu id quod affirmatur & negatur, secundum eandem omnino rationem , seu conditionem subjecti, & prædicati ; cùm sit contra evidentissimum omnium principium : *impossibile est idem simul esse, & non esse*, in quo fundatur alterum, *impossibile est utrāque propositionum contradictriarum esse simul veram & falsam*, ergo ut utrāque , idest, tām affirmativa ejusdem de eodem quām negativa, non sit contradictoria verē licet talis appareat; & in re non sequatur idem à parte rei esse simul & non esse; necessè est ut à parte rei, & non tantum per fictionem intellectus, aut per falsam, vel extrinsecam distinctionem, sit aliqua vera non identitas (se distinctio formalis) ob quam verum sit coram DEO , qui non fallitur, non affirmari & negari idem de eodem respectu ejusdem ; alias si a tollendam repugnantiam essendi, & non essendi, sufficeret esse & non esse secundum diversos conceptus intellectus creati, tolleretur quidem illa repugnancia apparenter, & putativa sed à parte rei sequeretur ex tali hypothesi contradictione, & id, quod absolutè impossibile est nempè, ut idem de eodem respectu ejusdem esset simul , & non esset.

53. *Contra* 2. idem animal est ratio conveniendi genericè cum equo; quia ratio essentiaialis animalis reperitur in homine, & in equo; sed ratio formalis rationalis non reperitur in equo, ergo nequit esse ratio assimilandi hominem equo, ergo in eadem linea, scil. in convenientia generica, animal est ratio conveniens, & rationale non est ratio conveniendi, & conseq. in eadem linea invenitur contradicatio, sed hæc nequit eidem rei secundum eandem rationem convenire: ergo animal & rationale, quorum rationes homini convenient à parte rei (est enim homo à parte rei secundum omnes animal rationale, & non per intellectum tantum, aut denominationem extrinsecam) aliquomodo distinguuntur, non realiter strictè, ergo formaliter.

55. R^e. 3. Animalitatem posse dupliciter considerari. 1. *entitativè*, id est pro entitate, quæ est principium sentiendi, & ratiocinandi; 2. *præcisivè*, id est, prout tantum dicit principium sentiendi. Si primo modo sumatur, verum est dicere, quod eadem entitas est similis, & dissimilis equo ratione diversarum operacionum. Si secundo modo, nequit de animalitate verificari similitudo respectu equi realiter; tamen quia cum animalitas non sit præcisa realiter à rationalitate, sed tantum per rationem, id quod convenit illi, ut præcisæ, non convenit illi.

illi realiter, sed per rationem, tūmetiam; qui nequit præscindi animalitas à rationalitate, qui etiam præscindat ab hinnibilitate, & sic potius est una cum animalitate equi, quām similis quia similitudo non est ejusdem ad se ipsum; ac similitudinem enim requiritur distinctio in e ratione, in qua aliqua dicuntur similia.

55. *Contra.* Essentia animalis, vel consistit in hoc, quod sit principium sentiendi, & ratiocinandi simul? vel in hoc, quod sit principium sentiendi tantum? si primum: ergo essentia animalis non reperitur in equo, quia in equo non reperitur principium ratiocinandi. Si secundum: ergo homo est similis equo in essentiali ratione animalis, & dissimilis in essentiali ratione rationalis; Sed tales rationes essentiales convenient animali & rationali ante operationem intellectus: ergo essentia animalis, & essentia rationalis ante omnem operationem intellectus distinguuntur. Dūm autem dicunt, quo animalitas ut præcisa sit una, & sic non sit ratio assimilandi, hoc verum est loquendo de præcione per intellectum; sed hoc nihil est contrarios; quia non dicimus, quod natura animalis, ut præcisa per intellectum sit ratio assimilandi, sed prout à parte rei dicit suam essentiam quæ ex se formaliter præscindit à rationalitate & ut sic reduplicative, neque est una, neque plures, ut docent nostri de unitate formalis, se

specificativè est multiplicata, & realiter distincta ratione differentiarum individualium, quod sufficit, ut possit esse ratio assimilandi.

58. Ex. 4. Quidam fugientes ad operationes & accidentia, seu connotata extrinseca dicendo; tolli contradictionem; quia in una propositione sumitur eadē essentia in ordine ad operationes sensitivas, &c. in quibus convenient; in altera vero eadem indivisibilis entitas sumitur in ordine ad proprias operationes, &c. in quibus non convenient petrus, & hic equus; sicut ergo unum indivisibile punctū potest esse centrum, & principium plurium linearum in circulo ab ipso procedentium, & ad idem terminantium, ita potest una eademque essentia indivisibilis esse principium diversarum operationum, in quarum aliquibus assimiletur alijs essentijs, in aliquibus autem non assimiletur. Sed

57. Contra I. Non solum operationes sunt similes, sed & ipsi operantes, scil. homo & equus, ergo. Deinde argumentum reddit in caput Adversarijs; quia operationes sunt similes, & dissimiles; sensatio est similis vegetationi in esse operis vitalis, dissimilis in esse cognitionis, ergo saltem hic debet dari distinctio graduum. Tandem gradus individualis distinguitur à natura specifica, & tamen non est operativus, ergo.

58. *Contra. 2.* Certum videtur, non posse tra
Adversarios ostendere summam identitatem lita
inter animalitatem & rationalitatem petri, *nec dia*
à priori; quia in creaturis non est summa sim-
plicitas; *nec à posteriori* ex effectibus; quia di-
versitas effectuum (præsertim formalium) in-
dicat potius diversitatem, quam identitatem
principiorum, quando unum non potest in effe-
ctum alterius, *nunquid enim de tribulis ficus col-*
ligent, aut de spinis uvas? *Matth. 7. 16.* è contra-
rio verò ex diversitate operationum, si alteru-
trum dici debet potius inferenda est distinctio
principiorum; ergo Scotistæ solidius philoso-
phantur ponentes distinctionem formalem in-
ter principia, quam Adversarij gratis eam ne-
gantes.

59. *Contra. 3.* Multò validiora, & intel-
lectus magis quietativa videntur argumenta
quibus astruitur distinctio formalis, quam qui-
bus asserit^{ur} omnimoda identitas inter gradu
metaphysicos v. g. animalitatem & rationali-
tatem. 1. enim melius verificatur, differen-
tias genericas & specificas esse inter se essentia-
les, & non tantum accidentales ob diversa ac-
cidentia, cum quibus tanquam connotatis ex-
trinsecis coassumitur principium eorum. 2. Po-
sita hac distinctione, statim ac perspicue tolli-
tur repugnantia contradictionis; quia affirma-
tiva cadit immediate super animalitatem in-

posse transitivè sumptam; & negativa super rationalem litatem secundùm se & per se, non autem mediataè, & propter connotata extrinseca. 3. Multæ aliæ propositiones meliores evadunt, ut cdm dicimus, petrus non discurrit ut animal, aut in quantum corpus est; sed quatenus rationalis, sed si in eodem numero homine sunt à parte rei idem formaliter ratio corporeitatis, vitæ, animalitatis, & rationalitatis; verè posset dici, hominem non minus per animalitatem discurrere, quam sentire per rationalitatem, &c. Quæ absurdæ esse nemo non advertit. *Deinde*, ut ajunt Conimbricenses lib. 2. de anima c. 3. q. 4. art. 2. Si intellectus non distingueretur formaliter à voluntate ex natura rei, fore, ut intellectus amaret, & voluntas intelligeret, quod habent pro absurdo, & tamen hoc evidenter sequitur nostros Adversarios, nullam ponentes majorem distinctionem inter voluntatem & intellectum intransitivè, quam inter gladium & ensim.

60. Conf. Si homo ut volunt Adversarij est omnino simplex nullam dicens pluralitatem partium constituentium, sequitur, quod si cognosceretur in eo animal non cognito rationali, cognosceretur, & non cognosceretur animal; sed hæc est manifesta contradic̄tio, quæ firma statim evomitur à stomacho intellectus: ergo, &c. *Pr. sequel.* ipsum animal hominis secundum

dùm Adversarios non minùs est ipsius rationale, quàm gladius est ensis : ergo si cognoscetur animal sine rationali , cognosceretur animal sine animali: eadem contradic̄tio sequitur de rationali, ut patet applicanti. *Et adhuc evidentiūs apparet in distinctione reali*, cùm enim animal sit eadem res cum rationali , implicat realiter poni animal, ubi non ponitur rationale aut realiter destrui animal hominis, quin destruatur ipsius rationale: ergo si formaliter & objectivè per omnia sit idem ; implicabit ipsum per modum objecti esse alicubi, ubi non erit similimodo rationale. *Pr. con.* quia actio realis in casu nostro non potest versari circa unum horum sine alio ; sed nec ipsa actio potest introducere illis distinctionem realem, quantumvis realis sit ; quia ipsa antecedenter fuerunt unum : ergo si similiter fuerunt unum intentionaliter, actio non potest ea reddere intentionaliter duo aut divisa.

61. *Pr. 2. ratione:* Potior pars philosophia occupatur in dividendo communes rerum essentias tanquam genera in suas species , & per differentias genericas , ac specificas tanquam partes essentiæ totius ; item in difiniendo rerum naturas, & ijs distinctè cognitis, ac à posteriori per propria accidentia confirmatis, versatur in demonstrando per essentiam proprietas & passiones ejus, tanquam per causam prior

priori non cognoscendi solūm , sed & essendi ;
& in his methodis scientificis à notioribus ad
ignota nos deducentibus , credunt philosophi
se sapere supra vulgus imperitum , & non deci-
pi ; sūntque in hac possessione judicandi ope-
rationes sui intellectūs , quando utuntur regulis
dividendi , definiendi , & demonstrandi esse uti-
les negotiationes , nec per illas (ut ita loquar)
mercari vitreos globulos pro gemmis & mar-
garitis , aut inanes & umbratiles scientiarum spe-
cies ; alias (quis audebit dicere) judicabunt
se concipere falsum , & nisi cognitionem emen-
dent , delectabit eos falli , & alios fallere .

62. Ut res demonstretur exemplo ac simi-
litudine , videtur in hoc negotio evenire non
secūs , ac si quis microscopijs , & telescopiis , qui-
bus oculus instruitur , ut videat distincta , quæ
reverà non sunt distincta invicem , anteferat
specilla poliangula , quibus numerus aureus vide-
tur toties multiplex , quot sunt facies triangu-
lorum , aut prestigias nubium , in quibus Sol ,
quib[us] unicus est repræsentatur instar pluriū ;
hæc enim visio distinguens plures numos au-
reos aus soles , ubi unicus est , non deservit nisi
ludibrio oculorum , & decipiendæ phantasie ;
sic pariter philosophia docens cognoscere di-
stinctè ea , quæ à parte rei nullo modo essent
distincta , doceret nos cognoscere imperfectiori
modo , quam qui cognoscit illa ad modum
unius

unius rei indivisibilis, sicut reverà in hác hypothesi se haberet, quæ à parte rei nullo modo forent distincta. His positis, quis non videt (modo videre velit) negotium philosophiæ multò solidius & utilius esse digniusque studio sine jactura temporis, & meliorum occupationum, si ex natura rerum, quas profundiùs nosse cupiunt philosophi, sint in essentijs partes & gradus essentiales invicem subordinati, & proprietates ab essentia emanantes cum tali distinctione, ut idem nec per se ipsum omnino definiatur, nec per se ipsum demonstretur; quàm si supponatur ea non esse distincta, nisi ut substant imperfecto philosophantium concipiendi modo, & ex hac tantùm imperfectione ori- ri, ut putent essentias habere in se plures gra- dus, & distinguì à suis proprietatibus, hácque distinctione supposita, quamvis falsa, philoso- phos videri sibi rectè definire, & solide demon- strare, & melius atque explicitè cognoscere re- rum naturas, quàm vulgus imperitum? Certè hac comparatione facta prior modus sciendi verior est, & conformior appetitui innato scien- di, & conatui atque impensis adhiberi solitis pro aſſecutione veræ scientiæ, & judicio com- muniori speciei humanæ, quæ non debet dici tota decipi, nisi Adversarij ostendant (quòd haſtenùs non præstitere, nec in hac vita lumi- ne naturali præstari potest) eam decipi: ergo cum

cum major pars hominum supponat priorem sciendi modum , in qua hypothesi includitur distinctio ex natura rei plurimis in causibus, minor strictè reali , dari debet hæc distinctio formalis actualis Scotistica. Confirmatur per adductionem argumentorum, quæ communiter pro astraruenda hac distinctione solent allegari à nostris. Cæterum ne hæc quæstio nimis producatur. sic

QUÆSTIO IV.

An allegata hactenùs à Scòtistis argumenta sint benè, & sufficienter dissoluta ab Adversarijs ?

63. **C**onclusio. Rationes à Scotistis pro stabilienda distinctione formalis afferri solitæ, hucusque non sunt benè dissolutæ. Nam ad primam , quæ est P. Mastrij : ea ex quibus res componitur inter se distinguuntur , sed ex animalitate & rationalitate homo componitur : ergo animalitas & rationalitas inter se distinguuntur. Pr. min. quia species componitur ex genere & differentia ; sed animalitas & rationalitas sunt genus & differentia hominis : ergo ex his componitur homo. Rz. Adversarij negando compositionem metaphysicam esse compositionem ex natura rei , sed logicam tantum &

& intellectus præscindentis unam rationem ab alia, ideoque nec compositio dicta, nec distinctio datur nemine cogitante. Addunt Adversarij dum dicitur *animal in homine perficitur per rationale*, vel rationale determinat *animal ad esse hominis*, vel rationale supervenit *animali*, &c. Hæc omnia esse vera in sensu logico & abstractivo, non enim datur realiter animal ut sic, quod nec sit rationale, nec irrationalis; unde animal hominis, quod re ipsa datur non est indifferens ad aliam differentiam, sed jam contractum est ad speciem hominis. Sed (præterquam quod ad hoc patet mens Scotistarum ex n. 55. quæst. præced.)

64. *Contra.* Eadem ratione, qua Adversarij audent dicere compositionem metaphysicam esse merè rationis, eadem asserunt Scotistæ esse compositionem ex natura rei reali. Ratio est 1. quia alias omnia entia metaphysicè considerata essent æquè simplicissima, ac ipse DEUS. 2. Juxta philosophum supra relatum, genus est extra rationem differentiæ, & quia genus & differentia sunt partes definitionis explicantis *naturam rei*, ac etiam substantiæ merè spiritualis: ergo compositio metaphysica, quam omnes admittunt in natura & substantia spirituali debet esse realis. 3. Compositum metaphysicum est ipsa collectio

lectio omnium perfectionum seu graduum essentialium, qui propter suam essentialiem, & indispensabilem ad se invicem subordinationem faciunt unum per se. 4. Compositio fit per actum & potentiam; sed in homine, Angelo, &c. metaphysicè consideratis, dantur aliqua, quæ se habent ante omne opus intellectus velut actus & potentia metaphysicè, non item in DEO: ergo, &c. maj. patet. Pr. min. ratio entis in homine determinatur, & actuatur quasi per actum & formam metaphysicam, nempe *perseitatem*, & facit substantiam. Ratio substantiae per corporeitatem, vel spiritualitatem, &c. Quæ omnia reperiuntur in natura rei independenter ab intellectu. 5. Homo est essentialiter & intrinsecè animal perfectius bruto antequam accedit intellectus quicunque: ergo habet aliquam perfectionem, quam non habet brutum etiam in sensu aliquo reali. Sed

65. Instant Adversarij. sumimam DEI simplicitatem consistere in eo, quod excludat omnem compositionem physicam, qualis est ex materia & forma physica, vel ex substantia & accidente, qualem habent omnes creaturæ, vel enim componuntur ex materia & forma physica, ut homo, vel saltem ex substantia & accidente, ut entia pure spiritualia, v.g. Angeli habentes accidentia sibi realiter superaddita, ut cognitiones, volitiones, ubicationes, &c.

66. Con-

66. *Contra.* Ergo materia prima, forma physica, accidentia Eucharistica, cognitiones, & volitiones, &c. Angelorum erunt æquè simplicissima, ac ipse DEUS, cùm quodlibet horum excludat compositionem ex materia & forma physica. *Si dicant* hæc omnia esse componibilia cum alijs, sicut & Angelus cum suis accidentibus. *Contra.* Certum est, quod verbum divinum sit componibile cum natura humana, ut concedunt etiam RR. apud Platelium parte 4. de Incarnat. c. i. §. i. n. 23. Ubi habet formalia: *Licet Persona Christi, prout præcisè importat suppositum Verbi, sit quid simplex; cum Verbum nullo modo sit compositum; tamen persona Christi formaliter, ut Christi, sub qua ratione est constitutum ex humanitate & Divinitate, eadem Verbi subsistentiæ terminatis est vere & propriè composita.* Ita. D. Thom. hic q. 2. art. 4. Suarez, Lugo, & RR. communissimè: ergo si cut Verbum Divinum manet in se simplicissimum, licet sit componibile cum natura humana, aut etiam accidente in multorum probabili sententia, etiam Angelus posset dici simplicissimus non obstante conjungibilitate suæ substantiæ cum accidentibus; consequenter compositio metaphysica in Angelo non appellat ad conjunctionem suæ substantiæ cum accidentibus.

67. Ad 2. rationem, scil. illa distinguuntur ex natura rei, quæ habent diversas definitiones; sed animalitas & rationalitas petri habent diversas definitiones: ergo distinguuntur ex natura rei. R. communiter distinguendo: quæ habent diversas definitiones adæquatas con. maj. quæ habent diversas definitiones inadæquatas neg. maj. & sic distincta min. negant con. notantes concep definitivum rerum alium esse adæquatum, per evm quem exprimitur objectum secundum omnia sua prædicata, quæ habet intrinsecè & essentia-liter: alium inadæquatum, per quem non omnia exprimuntur, cuius ratio est, quia res definiuntur prout subsunt, & repræsentantur à cognitionibus, & conceptibus nostris, res autem repræsentari possunt conceptibus diversis, quorum aliqui clarè omnia, alij aliqua solum prædicata claritate sibi propria exprimunt; unde illa solum habebunt distinctionem quamdam sibi intrinsecam nemine cogitante, quæ definiuntur definitione diversa adæquata, quælis est definitio hominis & leonis, ex inadæquata verò arguitur sola distinctio rationis: adduntque nobis incumbere probandum, an definitio animalitatis petri v. g. quod sit principium sentientiæ, aut rationalitatis, quod sit principium ratiocinandi, sit adæquata? hoc autem qua ratione probemus, ait quidam, non video.

68. *Contra.* quando Adversarij definiunt hominem dicendo: *homo est materia, anima rationalis, & unio hæc definitio est adæquata:* quando definiunt deinde solam materiam: *quod sit subjectum primum uniuscujusque ex quo fit aliquid, &c.* hæc altera definitio respectu totius hominis est quidem inadæquata; at respectu solius materiæ, nonne hæc definitio est pariter adæquata? ergo etiam quando definitur homo definitione metaphysica dicendo: *homo est animal rationale,* erit definitio adæquata respectu totius; & quando definitur sola animalitas, vel sola rationalitas, erit inadæquata comparatione facta ad totum hominem: at si nulla facta comparatione ad totum, sola animalitas, vel sola rationalitas secundum se præcisè definiatur, utique etiam erit definitio adæquata? si enim pars physica potest definiri definitione adæquata physica: ergo etiam pars metaphysica genus, vel differentia poterit definitione adæquata metaphysica definiri: maximè cum juxta philosophum differentia sit extra definitionem generis. Et juxta Doct. subtilem quodlib. i. lit. q. definitio exprimit in natura rei plures rationes quidditativas, seu gradus essendi, quod posterius ex Doct. saltem verum esse debet (immò etiam ex Adversarijs docentibus: illa sola habebunt distinctionem quandam intrinsecam nemine cogitante, qua

definiuntur definitione diversa adæquata, quæ est definitio hominis, & leonis, quia per ipsos res repræsentari possunt conceptibus diversis, quorum aliqui clarè omnia, alij aliqua solum prædicata claritate sibi propria exprimunt: ergo si definitio adæquata in homine & leone exprimit *omnia clarè*, homo & leo includet actu plures rationes quidditativas) de re strictè dicta, quæ habet propriam existentiam, & quæ includit totam collectionem graduum metaphysicorum à supremo usque ad infimum, uti est homo, leo, &c. Dico *de re saltem strictè dicta*; quia non extendimus hanc rationem ad formalitates & realitates, adeò ut etiam animalitas v.g. cùm definitur, *esse principium sentiendi*, iterum includat duas realitates seu minutias reales, minimè, ne sic abeat in infinitum.

69. Aliter *q.* quidam Recentior moderator in suis prælect. log. I. Si animalitas & rationalitas habent diversas definitiones explicantes diversas essentias: ergo omnino strictè realiter distinguuntur. *q.* Si illæ definitiones explicant essentias diversas propriam habentes existentiam, vel essentias tales, quæ includunt totam collectionem graduum essentialium à primo usque ad ultimum conc. Secūs nego. II. retorquet: ergo etiam principium discurrendi, judicandi, & apprehendendi different formaliter ex natura rei. *q.* nego paritatem; quia hæc principia sunt

sunt diversa tantum in modo tendendi, non autem formaliter & intransitivè secundum se. III. distinguit min. animalitas & rationalitas habent diversas definitiones in obliquo conc. in recto negat; rectum enim est to principium, in quo conveniunt, obliquum sunt sensationes & discursus in quibus non conveniunt. Sed contra. Si animalitas & rationalitas differunt in solo obliquo, ergo differunt merè accidentaliter, seu in accidentibus, quæ sunt sensationes & discursus, cum tamen reverè differant inter se essentialiter; quia etiam secundum ipsos Adversarios sunt prædicata quidditativa, & rationes essentiales hominis à parte rei explicantes ejusdem naturam. Deinde hic Vir rectum, to principium sumit merè grammaticaliter, nos autem sumimus il. Iud philosophicè, seu pro forma metaphysica & potentia sentiendi, quo modo sunt diversa potentiae sentiendi & discurrendi.

70. Ad 3. rationem: inter quæ est ordo ex natura rei, inter ea est distinctio ex natura rei, sed inter gradus metaphysicos datur ordo quidam ex natura rei: ergo. maj. patet. pr. min. nam inter gradus metaphysicos, unus est superior, ac latius patens, alter vero est inferior & minus latius patens, unus est determinabilis, alter determinativus: unus est prior altero per subsistendi consequiam, cum bona sit consequentia: datur rationale: ergo datur animal. mala autem datur anti-

mal: ergo datur rationale: erg, &c. Rint negando min. & antec. probæ, adduntque rationem & dicunt: hoc animal, quod est in petro v. g. nec latius patet, quam hoc rationale, cum illud sit aquè unum ac singulare, quam hoc: nec est ab illo à parte rei determinabile, cum nullam habeat indifferentiam ad hanc vel illam speciem, & sicut licet inferre; datur hoc rationale, ergo datur animal; ita licet inferre datur hoc animal, ergo datur rationale.

71. Ex. i. dum Scotista infert in petro v. g. est rationale: ergo est animal, & dicit hoc liceare, non item est animal: ergo est rationale, infert abstrahendo rationale & animal à petreitate, & sic abstrahendo tò animal, latius patet quam rationale, & rationale latius, quam petrus. Unde secundùm subsistendi consequentiam tenet prior consequentia, non item posterior: quare gratis concedimus, si animal aut rationale non abstrahantur à petreitate; sed dicatur: datur hoc rationale: ergo datur animal, vel è contrà, datur hoc animal: ergo datur rationale; quòd tunc utrūque liceat. Verùm in priori sensu abstrahentium utique non est mendacium; maximè cum in nostra sententia detur universale à parte rei, quod hic est supponendum, & sic rectè ex inferiori infertur superius secundùm subsistendi consequentiam. Sed ne merè videamur fundati in falso supposito.

72. Q. 2. Ideò inter gradus metaphysicos ejusdem suppositi, v. g. petri dari ordinem ex natura rei; quia huic enti homini non potest competere rationalitas, nisi præsupponatur in eo animalitas, nec animalitas nisi præsupponatur in eo ratio viventis, nec ista, nisi in eo præsupponatur ratio substantiae ob essentialem harum perfectionum ad se invicem subordinationem.

73. Ad 4. rationem, nempè: animalitati petri, & rationalitati ejusdem petri convenientia ex natura rei prædicata contradictoria intrinseca: ergo ex natura rei distinguuntur, non realiter: ergo formaliter. Pr. Ant. animalitas petri est ratio convenientiae, quam habet petrus cum Leone, rationalitas est ratio disconvenientiae, quam habet petrus cum Leone: ergo R. nt communiter, rationalitatem petri ex natura rei habere eandem prorsus similitudinem cum animalitate Leonis, quam habet cum illa animalitas petri, & hanc eandem prorsus habere dissimilitudinem cum animalitate Leonis, quam habet rationalitas petri cum illa. Addit modernus: independenter autem à nostris conceptibus verum est, quod homo sentiat, discurrat tamen per animalitatem, quam rationalitatem, hoc est, hæc res, quæ in homine est animal, discurrit, & hæc eadem res, quæ est rationale, sentit, ante omnem enim operationem intellectus

lectūs non dantur distinctæ formalitates animalis & rationalis, sed instituta hæc nostra sunt ad significandos conceptus, per quos fit formalis extrinseca distinctio circa rem ipsis substantem. Sed

74. *Contra 1. Juxta Arist. 3. met. 10. & 6. Topic. c. 3.* genus non participat differentias, nec differentiæ participant genus, sed differentia ponitur extra definitionem generis. *Item* in omni Schola aliis est conceptus generis, aliis differentiæ; quia ille est ratio conveniendi cum pluribus, iste disconveniendi cum omnibus (Loquor autem de conceptu objectivo, non de formali generis & differentiæ; nam *definitio est oratio explicans quod quid esse rei, seu naturam rei*) sed animalitas est genus, rationalitas est differentia, ut nemo negat; qua ergo ratione dici potest, quòd homo etiam sit similis per rationalitatem bruto, sicut per animalitatem, aut quòd homo & quæ discurrat per animalitatem formaliter, ac per rationalitatem? nonne hoc est aperta confusio conceptuum objectivorum generis & differentiæ contra expressam mentem Aristotelis? deindè gratis concedimus, quòd eadem res, quæ est homo, v. g. realiter simul discurrat, & sentiat, &c. Sed non per eandem formalitatem aut principium formale, sicut, si quis dicat: *lactis hujus albedo est visibilis*

sibilis, lactis hujus dulcedo non est visibilis, si albedo & dulcedo non sunt omnino idem à parte rei, nulla est in re repugnantia, & vera est tamen affirmativa, quam negativa, sed si albedo & dulcedo hujus lactis sint omnino idem repugnantia esset in re à parte rei, non minus, ac si albedo hæc esset visibilis, & non esset visibilis; immo sic albedo hæc esset albedo, & non esset albedo; quia non magis distingueretur albedo & dulcedo, quam albedo à se ipsa, & sic idem, idest, visibilitas, de eodem lacte respectu ejusdem qualitatis in ordine ad eandem potentiam visivam affirmaretur, & negaretur. Nec vitaretur repugnancia inde secutura dicendo: dulcedinem esse quidem à parte rei idem omnino cum albedine, sed negari de illa visibilitatem prout substat visui, qui ob sui imperfectionem non potest sentire quidquid sensibile est in albedine; fore autem ut sentiret albedinem simul & dulcedinem per modum unius sensibilis, si esset sensus perfectior: ergo sicut ad vitandam in lacte hanc contradictionem admittitur pluralitas formarum, ita suo modo admitti debet in homine, cum homo tamen à parte rei sit animal rationale, quam lac album & dulce.

75. Dices cum Adversarijs eadem simplissima realitas potest secundum se eandem esse similis, & dissimilis eidem; non quidem omni-

omnimodè, sed aliqualiter, quod sic probant. Dato etiam, quod animalitas petri, & rationalitas sint duæ formalitates ex natura rei inter se distinctæ, hæ ipsæ formalitates sunt inter se aliqualiter sicut dissimiles, ut patet; & sunt inter se aliqualiter similes; quia utraque est identificabilis cum petro, utraque est formalitas petri, utraque est realitas positiva à nihilo distincta, utraque est cognoscibilis sine altera: ergo potest eadem simplicissima realitas secundum se eandem esse similis & dissimilis eidem. Confirmat hoc aliis. 1. Animalitas Leonis est similis animalitati petri, & eidem animalitati petri dissimilis, quia animalitas Leonis non identificatur realiter cum rationalitate, sicut tamen identificatur animalitas petri cum rationalitate. 2. Animalitas petri, seu creatura est aliqualiter similis DEO sicut effectus suæ causæ, aut tanquam imago DEI; & eadem animalitas, seu creatura est aliqualiter dissimilis eidem DEO tanquam ens finitum ente infinito. 3. Addit modernus quidam ipsa distinctione Scotistica est similis, & simul non similis distinctioni absolutè reali, sed in hac non dantur praedicata Scotistica distincta: ergo. Prob. maj. distinctione Scotistica est independens ab intellectu, sicut distinctione realis: ergo est similis distinctioni reali, sed etiam non est similis, distinctione enim Scotistica necessariò versatur inter formalitates realiter identificatas, quod distinctioni reali convenire non potest.

*test: ergo potest idem formaliter eidem esse ali-
qualiter simile, & dissimile, licet non omnimode.*

76. *Contra.* Ista aliqualis similitudo, & ali-
qualis dissimilitudo ab Adversarijs admissa,
qua idem homo petrus secundum idem cum
bruto est similis aliqualiter, & aliqualiter dissimilis,
videtur esse ejusmodi, sicut v. g. aqua
tepidæ est aliqualiter similis aquæ in summo
frigidæ, & aliqualiter dissimilis eidem, adeò
ut nec omnimodè sit similis, nec omnimodè
dissimilis, sed aliqualiter. Cœterum ista ali-
qualis similitudo consistit in quibusdam gra-
dibus frigoris, qui adhuc sunt in aqua tepida;
& dissimilitudo consistit in quibusdam gra-
dibus caloris, qui itidem sunt in aqua tepida. Sic
Scotistæ cœteris paribus dicunt, dari in eo-
dem petro & homine plures gradus essendi,
secundum quorum unum homo est Leoni ali-
qualiter similis, secundum alium aliqualiter
dissimilis; Sicut juxta diversitatem graduum
frigoris, & caloris in aqua tepida exurgit si-
militudo, & dissimilitudo aliqualis ad aquam
in summo frigidam. Dato ergo, quod ali-
quid possit esse simile alteri inadæquate; si ta-
men illud aliud sit simplex, nunquam verum
erit, quia in hoc non datur aliquid & aliquid,
ratione cuius intrudi posset hæc aliqualis si-
militudo & dissimilitudo; sed secundum Ad-
versarios quælibet natura est quid omnino
sim.

simplex non habens pluralitatem componen-
tium (aliàs divertent ad nos) ergo. *quod ad-*
dit modernus de distinctione nostra media,
nihil omnino urget, quia distinctio est ratio quo
unum non est aliud, *ratio autem quo nequit esse*
quod in eodem genere. *Nec etiam* animalitas
dicitur propriè similis, &c. Sed homo per eam,
quia animalitas est tantùm ratio convenientiæ
hominis cum equo, & **non** aliud ut dixi n. 55.

77. *Instant Adversarij.* ergo etiam eadem
animalitas petri distinguitur à se ipsa ; quia
etiam in ista reperitur aliqualis similitudo &
dissimilitudo ut visum est n. præced. Par ratio
est de creatura & Deo : ergo &c. *R. negando illa-*
tum; quia tunc tantùm ista aliqualis similitu-
do, & dissimilitudo arguunt diversas realitates,
quando habentur rationes fundandi talem simi-
litudinem & dissimilitudinem aliæ & aliæ, &
quidem cum aliqua æstimabilitate conjunctam
ob peculiares operationes & diversos effectus
formales ab intrinseco provenientes non solum
effectivè sed etiam formaliter, seu in genere
causæ formalis: prout animalitas & rationali-
tas sunt rationes fundandi, quæ cùm formaliter
insint petro (petrus enim formaliter est ani-
mal, formaliter rationalis, id est, in genere cau-
sæ formalis) & sint insuper principium sensa-
tionum, & discursuum, jure meritò ob has ra-
tiones, super quas fundatur nostra similitudo
&

& dissimilitudo, arguitur pluralitas formalitatum, seu rationum fundandi. At verò, quòd animalitas sit indentificabilis rationalitati petri, quòd etiam sit formalitas positiva à nihilo distincta, per se cognoscibilis &c. hæc omnia sunt quidem rationes fundandi etiam similitudinem, sed non sunt ita æstimabiles, quia non sunt principia formaliter inexistentia aliquarum operationum: ergo est disparitas, & conseq. minimè infertur, quod animalitas distinguatur à se ipsa ex natura rei formaliter; aut DEUS vel creatura à se ipsis. *Accedit*, quod in multiplicatione formalitatum non sit abeundum quasi in infinitum, quod sequeretur ex instantia Adversariorum ponentium in realitate animalitis pluresrationes fundandi similitudines diversas; sed tandem monente etiam Aristotele Plato quiescere jubet, ubi scil. non datur tanta necessitas vel probabilitas eas plurificandi, sicut non amplius datur in animalitate vel rationalitate petri intransitivè, & secundùm se sumptis, ac non merè secundùm habitudines extrinsecas.

78. *Urgent* Adversarij Scotistas, qui dicunt: *non potest aliquid alteri aliqualiter esse æquale, & aliqualiter inæquale: ergo nec potest aliquid alteri aliqualiter esse simile, & aliqualiter dissimile.* Urgent, inquam, negantes conseq. disparitas est juxta illos, quòd quantitas consistat in indivisiibili,

sibili, adeò, ut unum non sit alteri æquale, nisi prosùs habeant eandem quantitatem aut perfectionem, quantum habet alterum; si vel minimum deficit, non est æquale: at verò similitudo suscipit magis & minùs, sic potest una imago magis esse similis suo prototypo, altera minùs.

79. *Contra.* Per Adversarios animalitas & rationalitas sunt omnino eadem indivisibilis formalitas: ergo sicut impossibile est, ut aliquid ratione ejusdem quantitatis sit æquale & inæquale eidem, etiam aliqualiter; quia hæc est indivisibilis, ita impossibile erit, quod petrus ratione animalitatis & rationalitatis sit similis aut dissimilis leoni; quia juxta ipsos sunt una realitas indivisibilis. Exemplum de imagine & prototypo non est ad rem; quia imago habet plura lineamenta, puncta, cavitates & umbras, &c. secundum quæ potest dari major aut minor similitudo, quæ omnia cessant in animalitate & rationalitate intransitivè & secundum se spectatis, non declinando ad operationes & connotata extrinseca. Quod si illa similitudo declaretur per ordinem ad operationes & connotata extrinseca (ut solent plures ex Adversarijs) tunc similitudo & dissimilitudo hominis cum leone non foret essentialis, sed merè accidentalis, ut potè desumpta ex sensationibus & discursibus, quæ sunt accidentia. Deinde licet

ide.

idem fundamentum respectu diversorum terminorum possit fundare diversas relationes, ut quantitas bicubita est æqualis alteri bicubitæ, & inæqualis tricubitæ; tamen idem fundamentum non potest fundare relationes oppositas respectu ejusdem termini v. g. equi: ergo rationes fundandi tales relationes debent aliquomodo distingui.

Q U Æ S T I O V.

In qua soluuntur argumenta contra distinctionem ex natura rei militantia.

80. **V**Arios haec tenus admoverunt Adversarij arietes, quibus Scoticam querent ac concuterent distinctionem. Primo obtrudunt argumentum negativum: *Nullum habemus signum, nullam experientiam, nullam denique rationem efficacem, quæ suadeat ejusmodi distinctionem: ergo non datur.* Antecep. patebit ex fundamentis Adversariorum. conseq. prob. sicut enim entia non sunt multiplicanda sine necessitate, hoc est, merè gratis; ita neque formalitates multiplicanda sunt sine solito fundamento, cum & hæjuxta Adversarios sint realitates quædam positiva, ac a nihilo distinctæ, non minus quam ea, quæ ab

Adversarijs simpliciter vocantur res quadam & entia. Sed

81. *Contra.* Non tām Scotistæ, quām universi alij habent signum sufficiens, experientiam ac rationem efficacem suadentem ejusmodi distinctionem: ergo datur. *Prob. Ant. quoad primum membrum*, signum quod habemus est, quia nullus hominum, nisi ingratus beneficiorum DEI, incurius sui, Deique oblitus aut ignarus non videt, se plūs perfectionis participâsse à DEO, quām creatura inferior v. g. quām accidens aliquod *albedo*, aut substantia inanimis *lapis*: est enim perfectio aliqua, quōd homos sit aliquid, seu ens existens, quo caret nihilum. Item est aliqua perfectio & major, quōd sit *substantiale*, qua perfectione caret accidens, est perfectio adhuc major, quōd sit *vivens, sentiens* quēis caret lapis, est perfectio & propè maxima, quod sit *intelligens*: harum omnium perfectionum (quæ nihil aliud sunt, quām ipsi gradus metaphysici) signa habemus evidentia, v. g. perfectionis discursivæ discursus, perfectionis sensitivæ sensationes, perfectionis viventis vegetationes, perfectionis substantiæ perfectatem, perfectionis entis existentis positivam existentiam seu extra nihilum sistentiam, quibus omnibus, quid notiùs & evidentiùs nobis? aut (quod est secundum membrum) quid expertum magis?

82. Ad prob. conseq. dicimus formalitates non multiplicari merè gratis & sine necessitate, necessitas enim earum est. 1. ne intellectus definiendo, dividendo, demonstrando destituatur objectis reverà scibilibus. 2. Ne frustretur appetitus naturalis sciendi, qui utique non satiatur per figmentum intellectus, sed per vera objecta à parte rei cognita, & in re deprehensa. 3. Per multiplicationem formalitatum optimè vitantur contradictionia à parte rei, & salvantur, quæ non salvantur per distinctionem rationis tantùm, aut virtualem, aut realem strictam, ut vidimus in præcedentibus. Deinde. 4. Ut notat noster Franciscus Mayronius in quoilib. q. 6. tit. 1. dictum illud: *frustra fit per plura, &c.* male intellectum multos angustioris animi reddidit auaros, & multas veritates interemit, adeò ut non viderint, ubicunque sunt diversi effectus formales, multiplicandas esse aut plures formas, aut plures formalitates.

83. Objiciunt 2. *Si animalitas & rationalitas petri inter se distinguuntur ex natura rei, tunc vel sunt aliquid præter compositum physicum ex materia, anima rationali, & unione, & ab illo ex natura rei distinctum? vel non? neutrum dici potest: ergo.* Q. animalitatem & rationalitatem, sicut & alij gradus essentiales metaphysici non esse aliquid præter compositum physicum, sed sunt ipsum illud totum metaphysicæ etiam con-

consideratum, homo enim petrus v. g. à pluribus scientijs consideratur; sic etiam à metaphysica, quæ cùm sit scientia realis, utique circulares & realitates versari debet. Quod si animalitas & rationalitas seorsim sumantur, tunc dico iterum eas non esse aliquid præter compositum physicum, sed esse partes essentiales illius metaphysicè considerati: dum autem distinguitur animalitas aut rationalitas à toto illo, illa distinctio est ex natura rei formalis includentis ab inclusu.

84. Dices. *Juxta Scotistas animalitas & rationalitas dimanant ab entitate physica, quæ est quasi causa earum: ergo erunt aliquid præter compositum physicum.* R. dimanationem illam non esse propriè causam, sed tantum rationem priorem respectu alterius in essendo, quatenus nimirum dum productum est totum physicum, hoc ipso resultant & adsunt etiam perfectiones essentiales, quæ simul sumptæ sunt ipsum totum physicum metaphysicè consideratum. Hinc errant Adversarij dum putant nos in ordine ad sensationes, quarum principium, si animal consideretur physicè, est anima & organum; si verò metaphysicè, tunc principium sensationis est animalitas, errant, inquam, dum putant, nos dictarum sensationum præter principium, quod est anima & organum corporis, etiam superaddere, ac statuere aliud principiu-

scil. animalitatis realitatem: quia quām pārūm
homo consideratus priūs à physico, si dein con-
sideretur à metaphysico, aliquid superadditum
acquirit, sed est idem homo aliter ab alio
scientifico consideratus; ita Scotistæ non su-
peraddunt quidquam entitati physicæ hominis
sed eundem hominem physicum considerant
secundūm constitutiva & principia metaphysi-
ca; & cùm metaphysica sit scientia realis, in
sua contemplatione realitatem habebit pro
objecto, ne versari cogatur circa figmentum
tantūm, idolum, aut simulacrum rationis.

85. *Objiciunt 3.* "Distinctio hæc esset ab
"solutè realis, & simul non esset absolutè realis
"ergo. Quod non esset absolutè realis conce-
"dunt Scotistæ. Quod autem esset absolutè
"realis, prob. illa distinctio esset absolutè rea-
"lis, quæ nemine cogitante versatur inter ab-
"solutè realia, sed talis est Scotistica: ergo. ma-
"jor. admittitur à Scotistis, & est manifesta ab in-
"ductione. minor. prob. quidquid identificatu-
"rū enti absolutè reali, est ens absolutè reale, sed
"v. g. animalitas & rationalitas petri, inter qua-
"datur distinctio Scotistica, identificantur enti
"absolutè reali; quia secundūm Scotistas pe-
"trus est ens absolutè reale: ergo. major. patet
"cùm quidquid de uno realiter identificat
"affirmari potest, affirmari possit etiam
"altero.

86. R. Negando sequel. maj. ad prob. concessa maj. nego min. ad hujus prob. nego maj. ad min. dico, petrus est ens absolutè reale includendo animalitatem & rationalitatem ceterosque gradus metaphysicos conc. his præcisis nego; quia sublata qualitercumque animalitate & rationalitate à petro, non manet petrus amplius ens absolutè reale existens propria existentia. Axioma verum est in sensu reali, falsum in formali.

87. *Obijciunt 4.* " Si semel concedatur, quod animalitas & rationalitas ejusdem petri verè ex natura rei distinguantur inter se, sintque plures realitates, non poterunt Adversarij ulla amplius ratione suadere, quod non distinguantur inter se realiter; imò convenientius in eorum principijs dicerentur inter se distingui realiter, quam solùm formaliter ex natura rei; sed non distinguuntur realiter: ergo nec formaliter. min. etiam ab Adversarijs conceditur, maj. verò prob. Si enim concedas animalitatem, & rationalitatem petri esse plures realitates antecedenter ad operationem intellectus inter se distinctas habentes definitiones diversas adæquatas, tribuentes diversos effectus formales, & capacites prædictorum contradictiorum nulla amplius tibi suppetet ratio negandi realitates has posse à se invicem separari saltem divi-

" nitùs; imò cùm juxta te animalitas petri sit
 " simillima animalitati leonis, animalitas autem
 " leonis sit separabilis à rationalitate petri, cùm
 " de facto ab ea sit separata, debebis consequen-
 " ter dicere, etiam animalitatem petri esse sepa-
 " rabilem à rationalitate ejusdem petri; sed si
 " animalitas & rationalitas saltem divinitùs à se
 " invicem separari possint, tunc etiam juxta Ad-
 " versarios jam non sunt amplius plures forma-
 " litates tantùm, sed plures res, conseq. & di-
 " stinctio inter illas erit strictè realis, non for-
 " malis ex natura rei: ergo si semel conceda-
 " tur, quòd inter se distinguantur ex natura rei
 " non poterunt Adversarij ulla amplius ratione
 " suadere quòd non distinguantur inter se rea-
 " liter, imò convenientius hoc dicerent, & di-
 " cere deberent consequenter ad sua principia
 Hi videntur velle cavere Scoto cum suis ab er-
 rore veluti iudæi Eleazaro cibum vetitum clàm
 deferentes, *iniqua miseratione commoti.* 2. *Mach-*
 Sed.

88. *R.* Negando maj. cuius probæ maj. di-
 stinguo nulla amplius suppetit ratio negand
 realitates esse à se invicem divinitùs separabiles
 si concedamus eas esse ante intellectùs opera-
 tionem distinctas velut res & res conc. velu
 realitates & formalitates nego maj. Item si con-
 cedamus eas habere diversas definitiones adæ-
 quatas, quæ sunt oratio explicans naturam re-

totam seriem graduum prædicamentalium continentis conc. Si tantum concedamus eas habere diversas definitiones adæquatas explicantes solum unum gradū, aut unicam perfectionem rei inadæquate sumptæ nego maj. Item si tribuant diversos effectus formales capaces prædictorū realium, seu quorū contradictoria extrema sint res & res conc. capaces prædicorum contradictiorum formalium seu quorum contradictiorum extrema sint formalitates & formalitates nego maj. & sic transmissa min. dist. pariter conseq. ergo falsum est divinitus realitates esse separabiles, licet ante intellectum ex natura rei distinguantur. Primo enim non possunt separari separabilitate mutua, quia si sic possent separari, deberent separata propriam habere existentiam, &c. Sed formalitates ex dictis non habent propriam existentiam aut subsistentiam: ergo. Quod inde confirmatur; nam ideo modus & modicum v. g. sessio à sedente est inseparabilis mutua separabilitate, quod sessio sine sedente non possit existere propriâ existentiâ, sed essentialiter & indispensabiliter sit alicujus sessio: ita formalitates essentialiter & indispensabiliter debent esse formalitates illius rei, cujus sunt aliquid per identitatem & essentialem subordinationem ad se invicem; sunt enim gradus essentiales rerum, quorum vel uno deficiente illa

rei essentia non subsisteret; sic sola rationalitate aut animalitate deficiente homo non esset homo. Secundo non possunt separari separabilitate non mutua ob rationem jam datam, si enim demeretur una formalitas divinitus per separationem non mutuam manentibus reliquis v. g. ex homine sola rationalitas, homo non esset eadem essentia, sed penitus aliud ens. Tum. quia ut habet tritum adagium, quod semel est idem semper est idem (loquendo de eodem supposito) ergo est inseparabile. Tum. quia gradus superiores habent essentialiem ad invicem subordinationem & præsuppositionem: ergo, &c.

89. Porro per hoc solvitur argumentum cuiusdam moderni dicentis: " Licet separabilitas sit signum maximum distinctionis, non tamen inseparabilitas est signum identitatis realis strictè, ut constat in Divinis. Pater ulterius etiam in physicis, ubi dari potest modus ad modum, qui licet sint inseparabiles, sunt tamen realiter distincti. Item secundum probabilem sententiam non repugnant duo actus fidei in eodem intellectu, quorum unus credat existentiam alterius, hi sunt mutuo inseparabiles, & tamen realiter distincti: ergo ex inseparabilitate formalitatem non infertur earum realis identitas, conseq. pergit ulterius, " & per hoc patet ad secundum fundamentum Scotistarum docentes tium

tium, quod istae formalitates non possint per
 se stare, cum non sint mutuo separabiles, vel
 quod se solis non possint terminare actionem
 physicam, vel denique quod omnes formaliti-
 tates petant existere unam indivisibili existen-
 tiā; sed horum nullum obstat, nam licet al-
 legati actus fidei, aut modus ad modum
 neuter alterius sit principium, distinguuntur
 tamen strictè realiter. Deinde sicut una ab-
 solutè realis essentia juxta Scotistas una esse
 potest, licet ex pluribus ex natura rei forma-
 liter partialibus quidditatibus componatur,
 ita una esse poterit realiter Scotisticarum
 formalitatum existentia, licet quævis habeat
 suam existentiam partialiter formaliter ex
 natura rei distinctam, unde ad summum ea-
 rum inter se inferretur inseparabilitas, quæ
 distinctioni strictè reali non officit. Et quo-
 modo Personæ Divinæ essent reales, cum
 distinctas existentias absolutas non habeant?

90. R. *Enim.* Dato quod possibilis sit mo-
 dus ad modum, & quod unus actus fidei credat
 existentiam alterius, adhuc adest separabilitas
 non mutua inter illos; quia licet modus non
 possit esse sine re modificata, potest tamen res
 esse sine modo hoc vel illo, & unus sine altero,
 conseq. adest separabilitas non mutua. Idem
 est de duplice illo actu fidei, quorum quilibet
 potest esse sine altero; & estò unus non foret

causa alterius, adhuc tamen quilibet potens est terminare actionem physicam, cum quilibet singillatim produci valeat ab intellectu adjuto, vel etiam a solo Deo, nec requiritur, ut unus producatur ab altero; quasi vero duo lapides a se invicem improducti non distinguerentur. **Item** estò concederentur plures existentiæ partiales, cum tamen haec ex sèpè dictis non forent completæ, non inducunt distinctionem realem. Ad id quod de Personis Divinis allegat. Dico ex dupli ratione vos male insimulat. 1. Quia res propriæ & pressæ sumpta est ens verum existens, aut subsistens; sed Personalitates sunt ipsa subsistentia relativa: ergo sunt propriæ res; conseq. realiter distinguuntur. 2. Apud Scotistas tres Personæ Divinæ habent se ut proportionaliter separatae, vel separabiles, cum se habeant ut producens & productum, spirans & spiratum, &c. ergo iterum distinguuntur realiter; quia signum distinctionis realis a posteriori est, quod realiter distincta possint separari entitativè mutuo vel non mutuo ad minus divinitus, vel saltem corrispondeant his proportionatè, quæ possunt separari entitativè. At vero formalitates, nec habent existentiam propriam, nec subsistentiam, nec se producunt ad invicem: ergo est disparitas manifesta. Sed sit ulterior

QUÆSTIO VI.

In qua refutantur Adversarij volentes distinctionem ex natura rei formalem esse strictè realem.

91. Ante resolutionem sciendum, vel potius supponendum est, contradictoria alia esse realia, alia formalia, alia virtualia, alia rationis; seu rectius loquendo, extrema circa quæ versantur contradictoria, aliquando esse res, aliquando formalitates, aliquando virtualiter, aliquando per rationem diversa; contradictoria realia tolluntur & verificantur per admissam distinctionem realem, contradictoria formalia per admissam distinctionem formalem, contradictoria virtualia per distinctionem virtualem, &c. Jam sit

92. *Conclusio.* Distinctio ex natura rei formalis actualis non est simpliciter realis. Ita Scotistæ omnes. Ratio est; quia ad hoc ut distinctio scotistica dicatur & sit simpliciter realis, deberet versari inter rem & rem simpliciter, & in ea fundari; sed non versatur, nec fundatur inter rem & rem simpliciter: ergo. maj. patet ex dictis q. i. n. 8. min. constat ex n. 10. &c. quia formalitates non sunt res & res simpliciter, sed tantum aliquid rei: ergo. Confirmatur solu-

Iutione & refutatione argument. ab Adversarijs adductorum & quidem

93. *Obijcies* 1. " Distinctio à parte rei vera
" sans inter plures res est simpliciter realis; sed
" talis est Scotistica: ergo. maj. conceditur à
" nobis, min. prob. formalitates Scotistarum
" sunt verè plures res, quia vera sunt entia,
" atqui ens & res sunt termini convertibiles,
" & ambo transcendentales: ergo, &c. negando
min. ad prob. nego assumptum, subsumptum
concedo, scil. ens & res esse terminos conver-
tibles ac transcendentales; undè sicut dictum
est, rem aliam esse simpliciter talem, aliam se-
cundùm quid talem, ita etiam de ente dicen-
dum. Nec male citantur ab Adversarijs qui-
dam nostrates docentes conceptum entis in eo
situm esse, *quod est*, nempè vel quod est sim-
pliciter, vel quod est secundùm quid; vel quod
est per existentiam propriam, vel existentiam
ejus, cuius est aliquid per identitatem. Porro
quando dicunt formalitates non esse ab invi-
cem separabiles, nec ab invicem producibiles;
ad mentem nostram id dicunt sic enim proba-
tur eas esse identificatas ob signum identitatis
realis à posteriori de inseparabilitate.

94. *Dices*: " Omnis distinctio etiam ante
" Scotum vocata fuit aut realis, aut rationis,
" realis, quæ datur à parte rei antecedenter ad
" opus intellectus; rationis autem, quæ fit per
" opus

" opus intellectūs ; sed juxta Scotistas illa di-
" stinctio formalis datur à parte rei ante opus
" intellectūs : ergo dicenda est simpliciter rea-
" lis , aut certè Scotistæ cum suo Doct. in mo-
" do loquendi recedunt à communi contra
" monitum Arist. 2. Topic. c. 2. dicentis : no-
" minationibus res esse nuncupandas, ut nuncu-
" pantur à pluribus. R. Nos nequaquam re-
cedere à communi modo loquendi, cùm etiam
per nos omnis distinctio, quæ est à parte rei, sit
realis ; sed distinctionem ex natura rei seu rea-
lem subdividimus in realem simpliciter , & in
realem secundūm quid, prior est inter res & res,
posterior est inter formalitates. Sic etiam fa-
ciunt RR. qui distinctionem ex natura rei sub-
dividunt in realem simpliciter , & in virtualem ;
sic fecit Doctiss. Suarez distinctionem realem
subdividendo in realem absolutè talem , & in
modalem ; quod ergo fecerunt illi , & nos fa-
cimus fulti Authoritatē eadem , qua illi ; nihil
tamen contravenientes monito Aristotelico.
Et nonnè ante Molinam omnis scientia in Deo
vocabatur aut simplicis intelligentiæ, aut visio-
nis, & tamen huic licuit intrudere medium , er-
go nec Scotus erravit.

95. Ob. 2. " Produc realiter , existeret
" realiter , separari realiter , &c. secundūm
" omnes aliud non est, quām produci, existe-
" re, separari, destrui à parte rei , &c. ergo
" etiam

” etiam distingui aliqua realiter, est illa distin-
 ” gui à parte rei; sed ea, quæ distinguuntur di-
 ” stinctione Scotistica, distinguuntur à parte
 ” rei: ergo distinguuntur simpliciter realiter:
 ” ergo distinctio Scotistica est dicenda simpli-
 ” citer realis. *Confir.* Quia omne ens vel est
 ” simpliciter reale, vel rationis: ergo etiam
 ” omnis distinctio aut est simpliciter realis, aut
 ” rationis, cùm distinctio sit passio entis, &
 ” pari passu cum ente ambulat.

96. R^e. i. negando con: quòd enim illa,
 quæ à parte rei producuntur, existunt, sepa-
 rantur, aut destruuntur, &c. distinguuntur
 realiter; est ratio, quod habent diversas exi-
 stentias, & sint separabilia, non omnia autem,
 quæ à parte rei distinguuntur, habent sic di-
 versas existentias, aut sunt separabilia, qua-
 les sunt perfectiones essentiales, seu gradus
 metaphysici in eodem supposito: ergo falsa
 est conseq. Quæ supponit omnia à parte rei
 distincta distingui realiter. Aliás idem argu-
 mentum fieri posset contra Suarium de distin-
 ctione modali: modus & modificatum di-
 stinguuntur à parte rei: ergo realiter simpli-
 citer, negabit Suarez & quivis ejus Sectator,
 sed dicet *realiter modaliter*, seu à parte rei mo-
 daliter; sic nos etiam dicimus distingui gradus
 essendi ex natura rei formaliter. *Deinde com-*
mittitur fallacia, quæ à Doctore nostro vo-
catur

catur deceptio à secundū quid ad dictum simpliciter; estque similis huic argumentationi: *Æthiops* est albus secundū dentes: ergo est simpliciter albus. Talis, inquam, est argumentatio in subsumpto, dum dicitur, *atqui ea, quæ distinguuntur distinctione Scotistica, distinguuntur à parte rei, ergo distinguuntur simpliciter realiter.* Ea enim, quæ distinguuntur à parte rei distinctione Scotistica sunt realia secundū quid, seu realitates diminutivè; & inferatur ergo *distinguuntur realiter simpliciter, seu ergo sunt res & res simpliciter,* & sic committitur fallacia à secundū quid ad dictum simpliciter. *Ad Confir. R.* Eam confirmare nostram sententiam, quòd scil. talis sit divisio & subdivisio distinctionis, qualis est entis ex natura rei, cùm distinctio sit passio entis; sed ens ex natura rei *primo* dividitur in reale ac rationis, deinde ens reale subdividitur in reale simpliciter, quod est res strictè dicta descripta à nobis n. 9. ac in reale secundū quid, quod est realitas ibidem descripta n. 10. ergo etiam distinctio ex natura rei alia debet esse simpliciter realis, & alia secundū quid realis, & sic manifestè falsum est antec. confirmationis dum dicitur, omne ens vel est simpliciter reale, vel rationis; cùm detur etiam ens secundū quid reale velut realitas & formalitas.

97. Ob. 3. "Formalitates Scotisticæ posse
" sunt

" sunt de se simpliciter negari, & non possunt
 " de se simpliciter affirmari: ergo non identi-
 " ficantur realiter inter se. Conseq. patet,
 " simpliciter enim negare unum de altero, est
 " dicere unum simpliciter non esse alterum;
 " adeoque realiter distinctum ab altero. maj.
 " prob. si enim formalitates illæ in recto de se
 " invicem simpliciter affirmari possent, nec
 " possent de se simpliciter negari; idèò esset
 " hoc, quia ab invicem nec actu separantur,
 " nec separari possunt, nec habent oppositio-
 " nem producentis ad productum, aut aliam
 " similem, sed hæc omnia ad hoc non suffi-
 " ciunt: ergo, &c. prob. min. ex confessione
 " Scotistarum, qui communissime proferunt
 " has & similes propositiones simpliciter: v.g.
 " rationalitas petri est principium ratiocinandi,
 " animalitas petri non est principium ratioci-
 " nandi, &c. hoc idem argumentum prose-
 " quuntur longius & alij R.R. sed planè contra
 " omnem sensum & cogitatum Scotistarum.

98 R. *Enim.* i. Nego antec. quia falsum est
 formalitates Scotisticas de se invicem simpli-
 citer negari, sed negantur cum modificatio-
 ne & addito formaliter, dicendo v.g. *animali-*
tas petri formaliter non est rationalitas. Dumi
 autem dicunt Adversarij à Scotistis nihil fre-
 quentiùs audiri, quam propositiones simpli-
 citer prolatas sine tò formaliter; conseq. requi-

ti verificativa simpliciter talia, qualia non sunt animal, aut rationale. & Scotistas uti hoc modo loquendi supponendo formalem negationem tanquam nobis decantatissimam, nec alijs ignotam, adeoque non repetendo, sed supponendo, & subintelligendo *tō formaliter*. Unde in sensu strictè reali ob unitatem existentiæ animalitatis, & rationalitatis in homine, petrus tam differt realiter per animalitatem quam rationalitatem à bruto; non autem formaliter. Hinc.

99. & 2. Quod dum simpliciter affirmantur de se formalitates v. g. dicendo *animalitas petri est rationalitas*, affirmantur simpliciter propter unitatem existentiæ, & identitatem in tertio v. g. petro. Quando autem negantur, nequeunt simpliciter negari, quia ad talēm negationē requireretur pluralitas existentiæ, quam non habent; hinc negantur de se invicem *formaliter*, dicendo: *animalitas petri formaliter non est rationalitas*. Deinde omnino evincerent Adversarij suum intentum contra nos, si *animalitas petri* simpliciter negaretur de rationalitate; quia talis negatio, quæ est naturæ malignantis, excluderet omnem identitatem: dum autem negatur in sensu formalis, non excluditur omnis identitas, sed tantum identitas perfectissima, seu formalis manente identitate reali. Sed

100. *Dices.* "De quo simpliciter potest negari definitio, potest etiam simpliciter negari definitum, sed de una formalitate v.g. animalitate potest simpliciter negari definitio v.g. animalitas non est principium ratiocinandi: ergo etiam potest simpliciter negari definitum rationalitas, dicendo v.g. animalitas non est rationalitas. *R.* Nego maj. falsum enim est, quod possit simpliciter negari & dici, animalitas petri non est principium ratiocinandi; sed dicendum est: animalitas petri non est formaliter principium ratiocinandi, & formaliter non rationalitas, loquendo de definitione cadente super formalitatem, &c. Ut nihil intentatum relinquant Adversarij ad reijciendam hanc distinctionem, alius è contrà.

101. *Instat Sic.* "Ideò inter animal & rationale hominis daretur hæc distinctio media, quia utriusque nemine cogitante intellectu non conveniret eadem definitio; sed hoc est falsum: ergo. maj. est fundamen- tum Scotistarum. min. prob. definitio animalis in homine est principium sentiendi, sed hæc definitio convenit etiam rationali huic animali identificato: ergo, &c. prob. min. hoc animal quod est in homine est hoc rationale: sed huic animali convenit principium sentiendi: ergo huic animali conve-

" nit

"nit esse principium sentiendi : ergo utrīque
"convenit eadem definitio.

102. R. Eadem definitio, quæ convenit
huic animali in homine, convenit etiam huic
rationali *in sensu reali* ob unitatem existentiæ
in petro v. g. non autem in sensu formalis.
Undè in forma nego min. ad prob. concessa
maj. dist. min. hæc definitio convenit etiam
rationali realiter conc. formaliter nego min.
& con. nec petitur hic principium, satis enim
probatum est gradus metaphysicos, ut potè
constituentes essentias rerum præcedere om-
ne opus intellectus.

103. Ob. 4. "Juxta Scotistas formalita-
tibus convenientia prædicata contradictoria:
"ergo non tantum formaliter, sed etiam rea-
"liter distinguuntur. Ant. est Scotistarum.
"prob. con. si possunt aliqua inter se realiter
"identificari, etsi ipsis convenientia prædicata
"contradictoria, tunc possunt etiam aliqua
"inter se realiter identificari, licet quo ad lo-
"cum, vel tempus ab invicem possint separa-
"ri, & sic etiam ipsa separabilitas inter se ali-
"orum non erit amplius signum evidens di-
"stinctionis realis. Con. est contra omnes,
"etiam Scotistas : ergo. prob. maj. si enim
"illa, quæ sunt ab invicem separabilia, non
"possent inter se realiter identificari, ratio
"unica foret, quia de illis possent verificari
F "con-

"contradictoria, scil. esse hic & non esse hic;
 "esse nunc & non esse nunc; sed si realiter
 "possunt aliqua inter se identificari, licet de
 "ipsis verificantur contradictoria, tunc ratio
 "ista est nulla: ergo si possunt aliqua inter se
 "realiter identificari, et si de ipsis verificantur
 "contradictoria, possunt etiam aliqua realiter
 "identificari, licet ab invicem possint separari.

104. R. Supposito notabili in principio hu-
 jus quæst. n. 91. dist. Antec. formalitatibus
 Scotistarum convenientia prædicata contradic-
 toria formalia conc. contradictoria realia nego
 antec. & con. ad prob. con. dico, posse realiter
 identificatis convenire prædicata contradictio-
 ria formalia, & virtualia ex natura rei: at con-
 tradictoria, quæ convenientia separabilibus
 sunt contradictoria realia, & tolluntur seu ve-
 rificantur per admissam distinctionem realem,
 quia separata à se invicem existere possunt, non
 sic realiter identificata: ergo adhuc verum est,
 quod separabilitas sit signum evidens distinctio-
 nis realis.


105. Dices. "Per Scotistas quæ habent op-
 "positionem relativam producentis ad produ-
 "ctum realiter distinguuntur: ergo etiam qua-
 "habent oppositionem relativam essentialis-
 "dissimilitudinis. Cur enim potius oppositio-
 "relativa producentis ad productum esset si-
 "gnum distinctionis realis, quam oppositio re-

"lativa dissimilitudinis? sed formalitates ha-
"bent oppositionem relativam dissimilitudinis
"essentialis; quia animalitas petri est similis
"animalitati leonis, rationalitas petri non est
"similis illi: ergo. R. conc. Ant. & nego con.
disp. est, quia oppositio relativa dissimilitudinis
potest etiam esse inter extrema, quae non ha-
bent propriam existentiam, aut subsistentiam,
sicut sunt animalitas & rationalitas petri; op-
positio autem relativa producentis ad produ-
ctum semper debet esse inter extrema habentia
diversas existentias aut subsistentias, cum pro-
ducens semper det existentiam producto, &
quidem à se diversam; alias productum exi-
steret antequam produceretur. Ex his

106. Infertur. 1. Distinctionem scotisti-
cam non esse, nec posse dici strictè & simplici-
ter realem ut volunt RR. confundentes illos
terminos *realiter, ex natura rei, à partè rei*, qua-
si hæc essent synonima, quod manifestè falso
toties à nostris proclamatum est, sed hoc veluti
surdi prætereunt: habent se ergo ut termini
magis & minùs communes, vel ut superius &
inferius, & quidem superius est *ex natura rei, à parte rei*, independenter ab intellectu, hæc sunt
& significant idem, sed non tò realiter, quia sicut
animal est duplex, rationale & irrationalē, ita
etiam *ex natura rei* sumitur dupliciter, *ex natura rei realiter, & ex natura rei formaliter: vel realiter*

simpliciter, & realiter secundum quid. Erigerog distinctio realis minor secundum quid, seu ex natura rei formalis. Quia Adversarij nunquam probabunt formalitates esse res simpliciter, quia nunquam probare poterunt eas habere propriam existentiam, vel certè si probaverint existentiam propriam, non tamen eam evincent completam includentem totam collectionem graduum metaphysicalium, quam ad rationem rei propriè dictæ requirimus. Item nunquam probabunt separabilitatem formalitatum in eodem supposito, quia quod semel est idem, & manens idem, semper est idem. Deinde si essent separabiles, Adversarij sua in se converterent arma ad interitum proprium, probantes contra se, & sanores omnes distinctionem striè realem, quam cum omnibus alijs etiam horrent Scotistæ. Denique enunquam negare poterunt pluralitatem formalitatum in eodem supposito; quia nunquam, nisi cum injuria Creatoris, & ingratitudine propria negare poterunt, quòd plus à DEO percepient perfectionis, quam creatura quævis inferior homine, nempè esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum brutis, & intelligere cum Angelis, quas perfectiones in alijs vident dispersas, sed in se habent adunatas per identitatem realē. Omitto plura alia argumenta RR. adferri solita, quæ ex hactenùs dictis facile solvi possunt.

CON-



CONTRAVERSIA II. THEOLOGICA.

De distinctione ex natura
rei formalis actuali in Divinis.

QUÆSTIO I.

*An inter attributa DEI ad se mu-
tuò, & ad Essentiam ipsius com-
parata detur distinctio ex natura
rei formalis actualis?*

107. **M**ens nostra non est adducere anti-
quiora Adversariorum argumen-
ta, hæc enim dudum solverunt
nostrates ad sufficientiam: conabimur igitur so-
lumodò quorumdam RR. examinare funda-
menta, quibus hanc nostram insudant reijcere
sententiam, allegantes 1. Quòd si daretur di-
stinctio ex natura rei formalis scotistica, illa fo-
ret strictè realis, vel prorsùs imperceptibilis de
quo suo loco. 2. Quòd hæc distinctio Scotisti-
ca repugnet simplicitati Divinæ. 3. Quòd in

natura Divina daretur novum mysterium Trinitatis longè majoris multitudinis realium prædicatorum, de quo quæst. 4. 4. negant RR. inter attributa ad se comparata, vel ad Essentiam, aut personalitates inveniri contradictoria independenter à nostris conceptibus. De quo sit

108. Conclusio. Attributa DEI tām ab Essentia, quām inter se distinguuntur ex natura rei formaliter actualiter. Ita Scotus cūm omnibus suis i. d. 8. q. 4. ad quæst. Resp. ubi hæc leguntur: *est ergo ibi distinctio tertia præcedens intellectum omni modo: & est ista, quod sapientia est in re ex natura rei, & bonitas est in re ex natura rei, sapientia autem in re formaliter non est bonitas in re: ergo.*

109. Prob. I. Auth. S. Scripturæ. Joan. 16. dicitur: *omnia quæcunque habet Pater mea sunt.* Item Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* ubi Christus (veritas infallibilis) attributa significat pluraliter pluralitate se tenente ex parte DEI, ut patet ex particula *qua habet*, scil. in se ipso, & non in intellectu nostro, ut expllicant SS. PP. Item Roman. 1. v. 20. *invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt conspicuntur: semper eterna quoque ejus virtus & Divinitas.* ubi *invisibilia* pluraliter extra intellectum nostrum ponuntur: ita sicut mens nostra non facit sempiternitatem, sed supponit, ita & *invisibilia.* *Deinde* quatenus non cognoscuntur.

scuntur; dicuntur propriè *invisibilia*: ergo sunt talia independenter à nostro intellectu. Jam sic argumentor: in DEO dantur *omnia, invisibilia, & plura à parte rei*; sed omneitas & pluralitas à parte rei arguit distinctionem à parte rei: ergo datur in DEO distinctio à parte rei, sed non realis simpliciter: ergo formalis Scotistica.

110. Conf. i. Auth. SS. PP. S. Bernardi lib. 5. de considera. ante medium: *Multa dicuntur esse in DEO, & quidem sanè, catholicèque: sed multa unum.* S. Justinus in q. q. contra gentes ad interrogationem tertiam dicit: *aliud esse DEI Essentiam, aliud voluntatem: ab Essentia enim prodire voluntatem, non à voluntate Essentiam.* S. Cyrillus Alexand. lib. 2. thesauri, enumeratis Divinis Attributis ait: *Hæc omnia non substantiam, sed aliquid enrum, quæ in substantia inspiciuntur, significant.* S. Basiliius lib. i. contra Eunomium afferit: *quomodo enim ridiculum non est, si quis procreandi viam ipsam esse dicat Divinam Essentiam? aut providentiam rursus Essentiam? itiémque præcientiam?* ex quibus sic argumentor. in DEO datur unum & multa: item in DEO unum significat substantiam, & alia hujus substantiæ qualitates, ab Essentia DEI prodit voluntas, non à voluntate Essentia; sed unum & multa; substantia, & substantiæ qualitates, Natura DEI, & quæ cir-

ca naturam sunt, sunt actu & formaliter à parte rei: ergo actu formaliter distinguuntur à parte rei. Prob. min. independenter enim ab omni ope intellectus Essentia Divina est illa ratio objectiva, à qua prodit voluntas, & voluntas est illa ratio, à qua non prodit Essentia Divina: ergo in aliquo sensu vero, fano, ac catholico Essentia Divina non est attributum, & è contraria. Prob. Antec. non ideo Essentia est illa ratio, quia ego vel alius hoc intelligit; sed econtra, *ex eo, quod res est oratio dicitur vera.* cap. de substantia: ergo. Deinde ex cit. S. Basilio, ridiculum est dicere Essentiam Divinam esse vim procreandi, aut providentiam; & tamen hoc evidenter dicunt Adversarij: ergo. Tandem Patres Concilij Toletani 6. & 11. in professione fidei afferunt: *solum filium assumpsisse humanitatem in eo, quod est proprium filij, & non quod est communne trinitati:* ergo datur aliqua non identitas ex natura rei inter Verbum Divinum & naturam Divinam. Prob. conseq. vel hoc est verum, quia tu dicis, vel dicis, quia est verum: si secundum; habetur intentum: si primum; ergo dicta PP. sunt vera, quia tu dicis: ergo si tu non dices, non foret verum dicere, filium assumpsisse humanitatem in eo, quod est proprium filij; & non quod est commune Trinitati.

111. Conf. 2. ex doctrina ipsorum Adversariorum, dum enim quæritur; an Essentia sit de-

ratione attributorum? respondent negativè. Et tamen quis non videt debere omnino esse, si inter illa nulla sit distinctio. Viceversa dum quæritur; *an attributa sint de quidditate Essentia?* respondent item negativè, idem dicunt ad quæst. *an unum attributum sit de essentia alterius?* & tamen omnia ista debent esse necessariò invicem essentialia, si sint Essentiae essentialia, aut nullum ponatur discrimen ex natura rei inter ea invicem, aut inter ipsa cum Essentia comparata. *Deinde* Adversarij dicunt unū attributum demonstrari per aliud, & in facto ita demonstrant; sed ineptum est velle idem per se ipsum demonstrare, cùm ibi conclusio à præmissis, & medium ab extremis non possint distingui. *Nec dicas*: hæc distingui tantum per intellectum nostrum, & demonstrari unū per aliud, prout substantia nostris conceptibus inadæquatis, & idem modo confusè, modo explicitè cognoscantibus; nam si sic esset, ajebat noster Mayronius: esset negotiari non circa DEUM sed circa conceptus nostros de DEO.

112. Conf. 3. Theologi Christiani omnes ferè impugnant philosophos, qui posuerunt DEUM produxisse creaturas per intellectum, non per voluntatem; sed si nullum inter hæc est discrimen in re, convincuntur illimet idipsum tenere, quod philosophi. *Denique* omnes docent contra Durandum processiones Divinas

non fieri per naturam, sed per potentias scilicet intellectum & voluntatem; sed hoc esset manifesta contradictione in terminis, nisi aliud esset intellectus, & aliud Essentia, alias processio fieret, & non fieret per Essentiam, fieret, & non fieret per intellectum: ergo. *Nec satis facit* solita Adversariorum cantilena dicentium, nos de DEO cognoscere per plures conceptus, & discursus explicitè, ac distinctè, quod antea cognoscebamus implicitè, & confusè. Nam in hoc dicto gratis supponitur, unum attributum implicitè in altero contineri, quod perinde est, ac unum includi formaliter in alio, id ipsum autem est in controversia, nec assumi debet, sed probari. II. Ex isto progressu ad cognitionem explicitam & distinctam debemus potius agnoscere nos perfectius DEUM cognoscere, & in illo plures perfectiones deprehendere, quas antea in unum confundebamus; sicut in cognitionibus sensitivis experimur nunquam nos transire à cognitione immediata confusa ad distinctam, quin revera reperiamus in objecto veram distinctionem partium, figurarum, colorum, & aliarum qualitatum, cur ergo intellectui nostro præter eam imperfectionem, quæ consistit in speciebus alienis, hanc insuper vellemus irrogare, ut decipiatur cognoscendo distincta, quæ revera nullo modo sunt distincta? *maxime;* quia conceptus apprehensivi supponuntur sine nomine illud tamen sicut jactetur quia turatur in e simili & a retenti & sa nitib[us] hibent sed & n objec[ti]o[n]es I con tribu ame DEA Pate Sed te c

nunt objectum, cadentes super illud naturaliter sine ulla opera affectata discursus; ita quod non possint aliquid imaginari in objecto, quod non sit in illo; sed tantum ei se conformant, ut illud inveniunt, & ab eo suam sumunt representationem: ergo representatio, quae in illis resultat, procedit immediate & adaequatè ab objecto, naturæ suæ relictæ. *quod ulterius patet.* quia simplex apprehensio est necessaria, & naturalis imago rei, quam apprehendit: similis oculo, qui nihil potest videre in objecto, quod in eo non sit, ut videat eo modo, quo est per simplicem intuitum & naturalem sine ulla arte, & affectatione: ergo. Si igitur DEUS monstraret homini duo cognoscenda v. g. bonitatem & sapientiam, aut Essentiam Divinam & parentitatem, tunc duo conceptus apprehensivi exhibebunt representationes omnino diversas; sed illi duo conceptus sunt formaliter diversi, & naturales imagines objectorum: ergo etiam objecta sunt formaliter in se diversa.

113. Conf. 4. De attributis DEI verificantur contradictoria independenter à nostris concepitibus; nam re ipsa verum est 1. quod DEUS nos amet voluntate, & non intellectu. 2. quod iustitia DEI nos puniat, non misericordia, &c. 3. quod Pater generet filium intellectu, non voluntate, &c. Sed contradictoria nequeunt verificari de ente omnino indistincto, ergo debent hæc aliqua

quo modo esse distincta, non distinctione realis
stricta: ergo formaliter media.

114. R. Adversarij negando maj. hujus confirm. quod allata prædicata sint contradictoria; ratio enim cur prædicata Essentia & natura exprimamus pluribus diversis nominibus, dicunt, non est aliqua pluralitas reperta in natura DEI, sed imperfectio nostri intellectus, qui totam infinitam perfectionem unius simplicissimi actus divini non potest una cognitione satis clare intueri, nec uno nomine perfectè significare, & ideo debet illam attingere imperfectè sub diversis enigmatis, seu per diversas imagines rerum creatarum. Hinc fit, cum de DEO loquimur per diversa nomina, ne possimus, nec velimus DEUM significare tantum prout est in se, sed insuper prout est in nostris cognitionibus: Et cum DEUS prout est in una cognitione, seu prout est representatus sub uno enigmate e. g. justitiae creatæ, utique eatenus non sit in alia cognitione representante ipsum e. g. sub enigmate misericordiae, &c. Ideò dicunt, potest fieri, ut de ipso aliquid affirmemus sub uno enigmate, & sub alio negemus sine ulla contradictione prædicatorum DEO & attributis intrinsecorum.

115. R. 2. Ad singulas propositiones in confirm. adductas. & i. quidem, quando dicitur: DEUS nos amat voluntate & non intellectu, dicunt, sensus, ut propositio maneat vera, non est, quod DEUS nos amet voluntate tali, qua in se non sit intellectus;

hoc enim esset falsissimum: sed quod DEUS, quando concipitur nos amare, concipiatur sub enigmate voluntatis creatæ, seu ut principium operationis eminenter talis, quales sunt nostræ volitiones & amores; non autem concipiatur sub enigmate intellectus creati, seu ut principium operationis talis, quales sunt nostræ intellectiones, ubi apparet, nullam esse contradictionem, quæ de attributis secundum se verificetur. Sic etiam

116. Rg. 3. Ad Propositionem: justitia DEI nos punit, misericordia nos non punit, &c. Dicentes: sensus non est, quod justitia, quæ punit, realiter in se non sit misericordia, quæ parcit, aut immensitas, quæ DEUM ubique presentem sifit: hoc enim iterum esset falsum: sed quod DEUS, quando concipitur ut justus, seu ut puniens concipiatur sub enigmate justitia creatæ, quæ punit, seu ut principium talium operationum, quales procedunt à justitia creatæ; non autem sub enigmate misericordiæ creatæ, quæ parcit. Pari modo

117. Rg. 4. Quod Pater generet intellectu, & non voluntate, sensus non est, in hac propositione, quod filium generet aliquo intellectu, qui in se non sit voluntas, sed quod Pater, cum à nobis concipiatur generans, concipiendus sit sub enigmate intelligentiæ creati, pronuntiantis verbum sua mentis; non vero per enigma & similitudinem amantis creati. Sic Adversarij. Sed,

118. Contra 1. In Concil. Toletano re-

la-

lato à Patre viva p. i. disp. i. q. 3. n. 6. habentur formalia: non est credendum, quod Pater voluntate filium genuerit, nec quod voluntas sapientiam prævenerit, sed natura. Item in Consil. Syrmensi dicitur: Si quis Consilio DEI factum filium DEI afferverit, anathema sit. Ubi PP. cum Hilario lib. de Synod. anathem. 24. Ly Consilii intelligunt pro voluntate. jam sic argumentor ex cit. Concilijs: non est credendum, quod Pater voluntate filium genuerit: ergo voluntas formaliter & intransitivè non est intellectus. Prob. conseq. si voluntas nullo modo à parte rei distinguitur ab intellectu nisi in ordine ad nostros conceptus & ænigmata: ergo coram DEO & Angelis ejus intuitivè DEUM videntibus verum erit dicere Pater æternus producit filium voluntate, sicut intellectu. Deinde mysteria fidei proponuntur nobis credenda ut sunt in se vera veritate infallibili, & non ut substant nostris conceptibus inadæquatis, ut patet de Angelis, quos concipimus defactò per modum puerorum alatorum, nullus tamen credit, nec audet credere sic alatos: ergo cùm Concilium Syrmense sub anathemate prohibeat dicere filium DEI consilio seu voluntate factum, & in aliquo sensu catholico verum sit filium intellectu productum esse, evidenter sequitur aliqua distinctio inter intellectum, & voluntatem.

¶ 19. **Contra 2.** Si intellectus & voluntas per omnia sunt idem etiam formaliter à parte rei, tunc processio, quæ est per intellectum, erit etiam per voluntatem in divinis, & vice versa; aut erunt duæ generationes, aut duæ spirationes; imò utrūque continget, ut scil. sint duæ generationes, & duæ Spirationes; quia generatio filij erit etiam spiratio, & spiratio Sp. Sancti erit etiam generatio; vel certè non erit, nisi aut generatio, aut spiratio, quæ omnia, ut loquar cum nostro Barone sunt abominationes, quæ in sententia Adversariorum non videntur evadi posse, ut patet, tota enim ratio, cur illæ actiones debeant seorsim esse, est, quia seorsim sunt illæ potentiae scil. intellectus & voluntas: undè si illæ miscerentur, sive ipsa re (sive opinione) statim confundi debent processiones, quod tam tollit Trinitatem personarum in DEO, ut quisque videt. *Confirmatur si Essentia Divina includitur intrinsecè in conceptu cuiuslibet attributi, tunc non minus includeretur in voluntione, quam in intellecione, nec minus in inspiratione, quam in dictione, sed hoc etiam secundum ipsos Adversarios est falsum, nec potest subsistere. Quod sic prob. quia sic illi non possunt reddere rationem, cur in Divinis non sint duo filii; vel cur Sp. Sanctus non sit secundus filius?* ratio enim apud ipsos est, quia in

in *intelligere*, per quod producitur filius, involuitur Essentia ipsa divina, sed etiam tota illa involuitur in velle divino: ergo per illud producitur filius non minus quam per intelligere, & ita Sp. Sanctus est filius, non minus quam verbum. Nec video quomodo haec possint salvari per recursum ad ænigmata, non enim dum Pater æternus producit filium aut Sp. Sanctum, respicit, aut respexit ad haec inferiora; nec nos credimus processiones divinas fieri ad similitudinem creatarum.

120. Contra 3. Quia revera in natura divina est pluralitas perfectionum, non quidem simpliciter talium, quarum quælibet haberet propriam existentiam, & noceret simplicitati divinæ, sed secundum quid, seu rationum formalium, de quibus in contro. phys. nam *intellectus*, *voluntas*, *justitia*, &c. Sunt perfectiones simpliciter simplices, quæ formaliter reperiuntur in DEO; tum quia juxta Avicennam i. met. ac Peripateticos, Scotum & D. Thomam: *Quælibet ratio formalis non est nisi ipsa* in quocunque ente sit, sive finito, sive infinito, quia infinitas non mutat essentiales differentias, sed alia ratio formalis est *intellectus*, alia *voluntatis*, alia *justitiae*, &c. tum quia aliquis non male loqueretur dicendo: DEUM esse complexum omnium perfectionum simpliciter simplicium, quomodo philosophi definiunt.

finiunt beatitudinem, quod sit status omnium bonorum aggregatione perfectus, quae definitio intelligitur quoque de beatitudine objectiva, quae DEUS est. Qua ratione S. P. N. Franciscus vocavit DEUM *omnia* dicendo : DEUS *meus & omnia*. Verba D. Thomæ dist. 2. q. 1. sunt hæc : *in DEO est sapientia, bonitas secundum sui verissimam rationem : ratio sapientiae non est ratio bonitatis in quantum hujusmodi.* Et opusculo 72. diversitas rationis, quæ est in attributis, non est tantum à parte nostra, sed à proprietate ipsius rei, & hoc verum est.

121. Contra 4. Maximè contra illa ænigmata diversa ; quia si ad tollendam repugnantiam essendi & non essendi, sufficeret esse & non esse secundum diversos conceptus intellectus creati, aut secundum diversa ænigmata, ac imagines rerum creatarum, tunc tolleretur quidem illa repugnantia prædicatorum in dictis propositionibus apparenter & putativè, sed à parte rei sequeretur ex tali hypothesi contradicatio, & id, quod absolute impossibile est, nempè ut idem de eodem respectu ejusdem esset simul, & non esset, v. g. quod DEUS amet voluntate, non intellectu. puniat justitia, misericordia non puniat, &c. quæ omnino idem sunt à parte rei in DEO. Imò sequitur per Adversarios Thomistas nec ratione distingui ; quia per ipsos attributa distinguuntur

guuntur ratione: ergo non distinguntur, ne quidem ratione. Prob. conseq. 1. Quia distinctio rationis est in solo intellectu ut in subiecto: ergo per illam non potest quidquam extra distingui. 2. Ubi nulla est differentia, nulla est distinctio; sed per Adversarios ex parte DEI nulla est differentia: ergo nec distinctio. 3. Quod est in sola creatura, nequaquam est in DEO; sed distinctio rationis est in solo intellectu creato: ergo non in DEO, conseq. si quæ argumenta convincant distinctionem ullam in Divinis, non satisfit illis per distinctionem rationis.

122. R. Adversarij. *Eadem perfectio in divinis ut connotat verum intellectus dicitur, ut connotat bonum dicitur voluntas, &c. & his modis salvantur contradictiones occurrentes in divinis; ut generare, & non generare, spirare & negatio spirationis, &c.* Contra. Sistendo in exemplo ab ipsis dato de intellectu & voluntate; verum quod connotat intellectus in divinis est verum increatum; bonum connotatum à voluntate divina est bonum pariter increatum, non verò bonum finitum & infirmum creaturarum: ergo jam datur bonum increatum distinctum actu à vero increato, & ita distinctio formalis inter aliqua divina; neque hæc solutio aliud præstat, quam transferre difficultatem ab intellectu ad verum.

123. *Contra 5.* Ponamus beatum, qui videt DEUM sicuti est, illi repræsentatur intellectus & voluntas divina, justitia divina, & misericordia divina, natura divina, & paternitas, &c. Talis Beatus videt propositionibus nostris contradictorijs ænigmaticis formalibus respondere in objecto (DEO) propositiones objectivè contradictorias, juxta dictum Aristotelicum : *Ex eo, quod res est, vel non est, propositio est vera vel falsa :* Ergo illa extrema contradictionia, DEUS amat voluntate, non intellectu ; punit justitia, non misericordia, &c. nedum sunt vera propter conceptus nostros ænigmaticos de DEO formatos, sed in se est alia & alia, ac non merè per intellectum distincta. Vel si liceret dicere : *Intelligo DEUM sub diversis ænigmatibus : ergo in DEO non datur alia distinctio nisi per intellectum.* Tunc etiam licebit asserere : *intelligo Patrem & Filium, & Sp. Sanctum diversis conceptibus & ænigmatibus : ergo inter eos non datur nisi distinctio per intellectum tantum : aut cognosco in lacte diversis sensationibus dulcedinem & albedinem gustu scil. & visu : ergo albedo & dulcedo in lacte non distinguuntur nisi prout substantia diversis sensationibus ?* falsæ sunt istæ postremæ duæ illationes, & distinguuntur Pater, & filius, albedo & dulcedo etiam in se : ergo etiam attributa cœteris paribus , & non tantum per rationem, licet diversis ænigmatibus

bus à nobis concipientur. Ex his patet ad omnes Adversariorum Respons. quòd nempè reverà intellectus & voluntas DEI , &c. sint plures perfectiones , alias certè DEUS intellectu vellet, & voluntate intelligeret ; & sic cognoscendo peccatum vellet peccatum , nec mere permitteret, si reverà talis voluntas est ipsissimus intellectus DEI .

124. *R. Alij sufficere distinctionem virtualē aut fundamentalem.* Sed *Contra. I.* in divinis necessariò debet dari aliqua pluralitas actu, alias gratis disputamus aut supponimus esse attributa præter Essentiam, &c. sed omnis pluralitas supponit distinctionem unius ab alio; quia si sunt unum certè non sunt plura , sed distinctio virtualis aut fundamentalis non reddit extrema actu distincta , sed posteà distinguenda : ergo non sufficit ad veritates Theologicas ; quia fundamentum non est fabrica, imò nec pars ejus propriè (domus enim est supra, & innititur fundamento) sicut basis non est pars statuæ : ergo jam fundamentum distinctionis non est distinctio ; sed in divinis opus est distinctione : ergo non sufficit virtualis aut fundamentalis.

125. *Contra 2.* Dum illa distinctio fundamentalis & inchoata perficitur, quæro, an sit realis, vel rationis? si realis habetur intentum. Si rationis nil prodest, ut probatum est ; si

mixta, falluntur Adversarij in propria doctrina, quod omnis distinctio sit realis vel rationis, & sic tacite accedunt ad nostras partes, quod scilicet detur distinctio media. Confirmatur. Vel illa Adversiorum distinctio consistit in eo, quod est intra DEUM; aut consistit partim in eo, quod superadditur ab intellectu: si primum, non est tantum inchoata, ut illi volunt, sed perfecta: si secundum, non est simpliciter virtualis, sed actualis: quod patet à simili: si enim ad aliquid simpliciter necessarium forent arbores, certe non sufficeret semen pro singulari, & tamen semen est virtualiter arbor, si opus esset ad aliquem effectum siccitas aut calor v.g. ad sanitatem animalis, certe non expidiret admovere, multò minus ingerere ignem, licet ignis sit virtualiter siccitas & calor: ergo, &c. Deinde proprius ad rem: in DEO æternitas non æquivalet immensitati: ergo distinctio virtualis etiam ex hoc capite nihil vallet. Prob. Antec. quia æternitas non se extendit ad spatum loci, sed ad spatum temporis: ergo, &c.



QUÆSTIO II.

*An relationes divinæ distinguan-
tur formaliter ex natura rei ab
Essentia Divina, & attributis?*

126. **C**onclusio. Relationes seu personali-
tates divinæ distinguntur quoque
formaliter ex natura rei ab Essentia divina, &
attributis. ita Scotistæ omnes cum suo doct.
I. sent. d. 2. q. 7. ubi hæc habet: sed hic re-
stet ulterior difficultas, non enim videtur intelli-
gibile, quod Essentia non plurificetur, & supposita
sint plura, nisi aliqua distinctione ponatur inter ra-
tionem Essentiæ, & rationem suppositii. Mox
subjungit: Et dico sine assertione, & præjudicio
sententia melioris, quod ratio, qua formaliter sup-
positum est incommunicabile, & ratio Essentiæ ha-
bet aliquam distinctionem præcedentem omnem
actum intellectus creati, & increati.

127. Prob. I. Auth. SS. PP. Quæst. præ-
ced. n. 109. cit. maximè ex Concil. Florent.
sess. ult. ubi explicans illud Joan. 16. omnia
quæ habet Pater meus sunt inquit, omnia quæ Pa-
tris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo
dedit præter esse Patrem, ubi Concil. paternita-
tem ab alijs seorsim ponit: ergo excipit pa-
ter-

ternitatem, sed quid est distinctio nisi exceptio quædam. *Confir. 1.* Ex nostro P. Barone ex doctrina Adversariorum sequitur, quod aut Pater dedit Filio Paternitatem, aut nihil dedit Filio; si enim Paternitas per omnia est idem cum essentia data ei, jam etiam paternitas data est, alioquin nec essentia: & si essentia sit eadem per omnia Paternitati, Essentia non est data ei, quando nec data paternitas: *hoc patet in exemplo:* impossibile enim est dare alicui ensim & non dare gladium cùm ensis & gladius sint synonima. *Nec valet hic effugium Adversariorum de sua distinctione rationis, in ordine ad conceptus ænigmaticos,* possum enim distinguere ratione ensim à gladio, ut si dicam, omnis ensis est gladius; quo casu ensis est subjectum, gladius prædicatum, conseq. aleitate aliqua saltem rationis aliud & tamen stultus esset, qui propter hoc putaret posse donari ensim alicui absque eo, quod donetur ei gladius: ergo similiter.

128. Prob. 2. Quoties ex parte objecti verificantur prædicata contradictionia de aliqua entitate, ad declinandam contradictionem debet in ea dari aliqua distinctio objectiva, sed de Essentia divina & personalitatibus verificantur ex parte objecti prædicata contradictionia: ergo, &c. *Prob. min. 1.* De facto filiatione terminat unionem hypostaticam; natura vero il-

Iam non terminat, ut docet Scotus cùm suis
(in Sententia verò Adversariorum communio-
ri unio hypostatica terminatur ad personam
verbi, natura divina identificata cum pater-
nitate terminat unionem, quin illam terminet
paternitas) 2. *Natura divina non generat*, Pa-
ter *Divinus generat*. *Natura divina non genera-
tur*, *Filius Divinus generatur*, *Pater generat in-
tellectu*; *Pater non generat voluntate*, &c. Item
omnes Theologi inquirunt, an principium
quo productivum verbi & Sp. Sancti sit natu-
ra, an personalitas, an utrūque? sed hæc
quæstio foret planè inepta, nisi ex parte ob-
jecti natura, & personalitas distinguerentur:
ergo, &c.

129. Hæc & similes propositiones sunt (seu ve-
riùs loquendo) essent contradictoriae, si à par-
te rei nulla esset distinctio inter naturam &
personalitates, quia idem de una re verè ne-
gatur, quod affirmatur verè de altera; sed
hic non potest fieri recursus ad distinctionem
extrinsecam penè vera & realia connotata
realiter inter se distincta, cùm hic non adsint
distinctio etiam realis, ut rei à re inter Essen-
tiā divinam & personalitates divinas argue-
ret quaternitatem in DEO; distinctio autem
rationis ad evitandam à parte rei contradic-
tionem, ut ostensum est, non est sufficiens, sicut
nec virtualis. *Deinde* licet propositiones for-

males contradictoriæ non possint formari nisi ab intellectu; propositiones tamen objectivæ continentes prædicata contradictoria, sunt coram DEO veræ independenter à quovis intellectu, & verissimum est ante omnem intellectum, naturam divinam communicari filio, paternitatem non communicari filio: Ergo requiritur aliqua alia distinctio, aut non identitas minor reali, & major distinctione rationis per intellectum; talis autem est nostra formalis: ergo.

103. R³. Adversarij. Negando verificari de Essentia & personalitatibus divinis prædicata verè contradictoria probantes hoc ex Concilijs 1. Florent. sess. 25. Credimus in unum DEUM Patrem, &c. Sed ne identitatem, unitatemque Essentiæ dividamus, atque ut Essentiam ab Hypostasisib[us] non re differentem, sed ratione tantum, & actu intelligendi asseveremus. 2. Ex Joanne Theologo in eodem Concil. sess. 18. Divina substantia & persona re quidem sunt idem, secundum autem modum intellectionis nostra differre videntur. 3. Ex Concil. Later. sub Innocentio III. in cap. firmiter de summa Trinit. contra Joachimum Abb. ideo in DEO solumodo Trinitas est, non quaternitas, quia qualibet personarum est illa res, videlicet substantia, Essentia, seu natura divina, licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Sp. Sanctus, non tamen aliud,

aliud, sed id, quod est Pater, est Filius, & Sp. Sanctus idem omnino. 4. Ex Concil. Rhemen-si contra Gilbertum Porretanum. Credimus & confitemur simplicem naturam divinitatis esse DEUM, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin Divinitas sit DEUS, & DEUS Divinitas. Item sic: credimus solum DEUM Patrem, & Filium, & Sp. Sanctum aeternum esse nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates, vel unitates dicantur, vel aliqua hujusmodi adesse DEO, quae sint ab aeterno, & non sint DEUS. Ex quibus contra nos sic,

131. Insurgunt Adversarij. Si inter Essentiam & personalitates divinas verificantur praedicta contradictionia, debet ante omne opus intellectus aliquid in Persona esse v. g. paternitas, &c. quod sit negabile de Essentia, & vicissim. vel in aliquo sensu catholico debet verum esse, quod illud non sit divinitas; sed si aliquid est in persona, quod est negabile de Essentia seu quod non est divinitas, tunc persona & Essentia non sunt idem omnino; quia unum esse negabile de altero supponit illud non esse alterum, sicut universum dici supponit esse, & sequitur ad esse. Item dabitur quaternitas, quia dabitur aliquid, quod non est Essentia: ergo, &c.

132. Rq. I. Ad Concil. Florent. ibi fuisse actum de processione Sp. Sancti ex Filio, sicque satis erat latinis afferere identitatem realem

lēm inter naturam divinam , & personas , & huc tendebat per se illorum intentio ; licet occasionaliter Joannes Theologus de sua opinione adjecerit distinctionem solius rationis , sed de hac nihil fuit definitum , ut nostrates notant communiter ex ipsis Concilij verbis , dum enim Joannes Theologus in illo Concil. dixit : *re quidem sunt idem , secundūm autem modūm intellectiōnis nostrāe differre videntur* , ly videntur insinuat Concilium loqui opinativē , vel certè noluisse præjudicare opinionibus Scholasticorum , sumpsit ergo distinctionem rationis pro omni ea , quæ excludit realem inter rem & rem . Scopus enim unicus Concilij erat notum facere , & probare , an Sp. Sanctus procedat etiam à Filio ? & eximere græcis suam rationem dubitandi , an si ex filio quoque procederet Sp. Sanctus , esset idem principium cum patre , an duplex ? hoc enim timabant græci concedere , existimantes dividi Essentiam in duas , si filius spiraret cum Patre . Latini , ut hoc impedimentum credendi removerent , unum solum ac idem principium ratione unius & ejusdem Essentiæ ponebant , & sic servantes unitatem , & identitatem naturæ divinæ , ademerunt græcis metum & scrupulum , & tandem persualēre processionem à filio : occasionaliter autem Joannes Theologus de sua opinione adjecit solam distinctionem

nem rationis, de qua nihil definitum fuit in hoc Concilio: ergo, &c. Tum quia in litteris unionis latinorum cum græcis Eugenius IV. nullam facit mentionem de distinctione inter divinam naturam & personas, conseq. tantum Joanni Theologo privato illi doctori adversaremur, cuius dicta non fuerunt omnia approbata, etiam teste Ricciolio S. J.

133. R^g. 2 Concil. Later. voluisse excludere solam distinctionem realem inter naturam & personas, cùm solam quaternitatem eliminare cogitārat: per tò *omnino idem*, non nisi identitatem realem volebat, & sic summam simplicitatem pro identitate reali, qua admissa jam excluditur quaternitas in DEO, vel multitudo rerum, quod solum intendebatur contra Joachimum Abbatem.

134. R^g 3. In Concil. Rhemensi fuisse damnatum errorem Gilberti Porretani Episcopi Pictaviensis qui inter alias propositiones edidit has duas. 1. *Quod divina natura, qua divinitas dicitur, DEUS non sit, sed forma, qua DEUS est; quemadmodum humanitas homo non est, sed forma, qua est homo.* 2. *Quod tres personæ tribus unitatibus sint tria, & distinctæ proprietates tribus, qua non sunt ipsæ persona sed sunt tres res æternæ, & ab invicem à divina substantia in numero differentes.* Ubi in secunda propositione Gilberti manifestè ponuntur tres

res *eternæ* numero à divina substantia differentes, sed distinctio numerica, & individui ab individuo est realis stricta: ergo Gilbertus posuit distinctionem realem strictam tollendo identitatem realem. Scotus autem ponit distinctionem minorem, nempè ex natura rei formalem manente identitate reali. *Deinde* Gilbertus asserebat, rationes divinarum personarum, relationes extrinsecùs affixas esse substantiæ divinæ, & Essentiam Divinam esse formam, qua quælibet personarum DEUS est; ipsam tamen non esse DEUM, & multa æterna esse, quorum nullum sit DEUS, & personas divisas in substantia, & Patrem, & Filium non esse veritatem, sapientiam, &c. sed verum, sapientem, &c.; & *denique* personas non esse illam rem, qua sunt DEUS. Unde quaternitatem in DÉO admittebat similem quaternitati quatuor orbis partium, ut exprimit S. Bernardus: horum verò nihil, nec somnivit quidem Scotus, qui econtrà docuit personas & Essentiam esse unam rem, & Essentiam Divinam esse Deum, & sapientiam divinam esse realiter bonitatem, & inter naturam & personas, & inter attributa esse minimam omnium distinctionum præcedentium intellectū, quam ob sui parvitatem vocavit non tam distinctionem formalem, quam non identitatem formalem: nihil ergo habet Scotus cum Gilberto.

Ad-

Addit P. Joan. Bapt. Ricciolius è. S. J. vindicando Scotum ab hoc errore Gilbertino: Quid? itane oculis, & auribus caret Ecclesia DEI, ut quæ ad primos sussurros, & delationes, contra Gilbertum adeo strenuè evigilavit, & justè insurrexit; postea contra Scotum post tot secula, & celeberrimam de illius opinione famam, nullas querellas audierit? nullam notarit maculam? ad illationem ex Concilijs.

135. R. 4. *Dist. maj.* Debet ante omnem operationem intellectus aliquid esse in persona v. g. paternitas, seu tò *in communicabile pluribus*, quod sit negabile de Essentia formaliter conc. realiter & simpliciter nego maj. sic quoque dist. min. sed si aliquid est in in persona, quod est negabile de Essentia, tunc persona & Essentia non sunt *omnino idem* formaliter conc. realiter nego min. & conseq. si enim tò *omnino idem* accipiatur in summo rigore, etiam excludet distinctionem virtualem & rationis maximè quia Concil. Rhemensē sub Eugenio III. art. I. Ait: *In Theologia inter essentiam & personam ratio non distinguit*, quibus verbis plane videri potest excludi etiam distinctionis rationis; ne ergo & Adversarij & Scotistæ videantur docere contra Concilia, aut arguantur, tò *omnino idem* excludit solam distinctionem realem ad sensum genuinum Concilio- rum volentium retundere quaternitatem in DEO. Sed.

136. *Dices.*

136. *Dices.* Hic adesse distinctionem rationis, non rationantis, sed rationatæ, hoc est distinctio ab intellectu quidem facta, sed cum fundamento in re. *Contra 1.* ex hac Adversariorum Respons. sequitur, quod paternitas v. g. non desinat communicari, nisi post fictionem intellectus: ergo si nullus intellectus circa hoc fingendum versetur, paternitas, æquè communicabitur filio ac Essentia. *Prob. conseq.* quia illam communicationem impedit sola distinctio cum fundamento, sed estò fundamentum sit, sive intellectus operatio, tamen distinctio non est: ergo. *Contra 2.* Fundamentum illud, aut est aliqua diversitas horum duorum, aut non est, si primum? habetur intentum. Si secundum redit argumentum, quod duo contradictoria verificantur de eodem.

137. Instabis. Arguendo ex Concil. Rhenensi: si in personis divinis esset aliquid negabile de Essentia, seu divinitate v. g. tò *incommunicabile pluribus*, tunc debet in aliquo sensu catholico verum esse, quod illud non sit *divinitas*, ^{jam} vel est nihilominus DEUS? vel verò non est DEUS? si est DEUS: ergo in aliquo sensu catholico *DEUS non est divinitas*, & *divinitas non est DEUS*. Si non est DEUS: ergo ab aeterno est aliquid in DEO, quod non est DEUS, sed hoc utrumque est contra verba *Concilij Rhenensis n. 130.* relati: ergo.

138. R. Omnidè aliquid esse in DEO, scil.
paternitas, quæ formaliter non est *Divinitas*;
 simpliciter autem negari non potest paternitas
 de divinitate; nam paternitas simpliciter lo-
 quendo est Deitas. Et hoc in sensu catholico
 verùm est, nempè in eo, quo S. Aug. lib. 7.
 c. 2. de Trinit. dixit: *Verbum non est eo verbum,*
quo sapientia; & *pater non est eo pater quo DEUS.*
 Item lib. 5. de Trinit. c. 9. & lib. 7. c. 4. aliud
est esse DEUM, aliud esse Patrem. Sed utique
 S. Aug. fuit catholicus, & loquebatur catholi-
 cè: ergo etiam Scotista benè loquitur catho-
 licè dicendo: *paternitas non est formaliter divi-*
nitas; cùm loquatur conformiter ad Concil.
 Florent. sess. ult. ubi dixerat: *patrem gignen-*
do dedisse filio omnia præter esse patrem, ubi clarè
 vult Concil. Paternitatem esse aliquid forma-
 liter præter divinitatem. Dum autem quæ-
 runt Adversarij, an id (paternitas) quod hoc
 modo formaliter non est divinitas, nihilominus
 sit DEUS? an verò non sit DEUS? R. Simplici-
 citer & realiter loquendo esse DEUM, non
 verò formaliter: quando autem ad hoc infe-
 runt: *Ergo in aliquo sensu catholico DEUS non est*
divinitas, & divinitas non est DEUS, quod est
 damnatum in Gilberto. R. Si tò DEUS sumar-
 tur personaliter, seu prout supponit pro per-
 sonalitate; tunc illud verum est in sensu catho-
 lico, *DEUS supponens personaliter, seu persona-*
litas

itas non est divinitas formaliter, & divinitas formaliter non est DEUS supponens personaliter, seu personalitas. Quod si verò ly *DEUS* supponat simpliciter pro natura divina, tunc hæc propositio *DEUS non est divinitas, & divinitas non est DEUS*, neque est formaliter vera, sed prorsùs identica negativè, quasi diceretur divinitas non est divinitas, quod etiam formaliter est falsum. Si verò dicatur *paternitas non est formaliter divinitas*, hoc non est damnatum, nec Gilbertinum; Gilbertus enim damnatus simpliciter dixit: *DEUS non est divinitas, & simpliciter unum de altero negavit: ergo unum simpliciter de altero negando posuit distinctionem realem & quaternitatem damnatam à Concil.* *Ad aliam* Adversariorum illationem, quæ est ista: *ergo ab aeterno est aliquid in DEO, quod non est DEUS.* Ex. quod non est DEUS formaliter conc. quod non est DEUS realiter, & simpliciter nego illatum. Neque hoc est acatholicum, alias certè etiam acatholicum es-
set: *Paternitas virtualiter est distincta à divinitate, seu non est DEUS; aut est aliquid in DEO scilicet paternitas, quæ ab aeterno erat virtualiter distincta à DEO, seu non erat DEUS.*

139. Urgebis. Secundūm Scotistas hæc distinctione sufficiens est, ut, quando unum prædicatur de altero in abstracto (saltem in divinis) sic distincto, non sit vera ea propositio;

jam quærunt Adversarij, an solùm sit falsa ea prædicatio ratione nostra, an etiam realiter? si solùm ratione: ergo in se non distinguuntur illa prædicata, sed solùm ratione; si verò realiter: ergo unum realiter non est aliud, eo enim modo, quo unum non potest verè de alio prædicari, eo unum non est aliud: ergo &c. R. in divinis has & similes propositiones: *paternitas est divinitas, sapientia est bonitas, &c.* esse realiter ac identicè veras, formaliter falsas. Dum autem quærunt, an sint etiam realiter falsæ, dicimus etiam esse realiter falsas, ut ly *realiter* determinat inhærentiam, non inhærens; quia ex Doct. nostro i. d. 30. q. 2. in fine, ly *realiter* aliquando determinat compositionem, & tunc nihil aliud est, quam illud, quod verè est, sicut dum dicimus, ista propolitio est realiter falsa, volumus dicere, quod est verè falsa; nam si ly *realiter* determinaret inhærens, seu prædicatum, tunc significaretur falsitatem esse quid reale & positivum; ex hoc autem, quod hæc propositio v. g. *bonitas est sapientia*, sit hoc modo realiter falsa, patet non benè deduci, quod unū extreū sit aliud realiter, vel realiter distin-ctum ab alio cxtremo in sensu Adversiorum.



QUÆSTIO III.

An proferri possint instantiæ seu exempla contra principiū Scoti : *contradictoria non possunt competere eidem.*

140 **A**D hoc respondent aliqui affirmativè proferentes plura exempla & instantias. **I.** *Intellectus in Patre est fœcundus, & generat;* in Filiō non est fœcundus, nec generat, ut est de fide ; & tamen inter Intellectum Patris, & Filii est identitas ex natura rei formalis ; quia non alio intellectu intelligit Pater, & alio Filius ; conseq. verum erit dicere , quod eadem formalitas generet, & non generet. Idem est de voluntate, quæ spirat , & non spirat : ergo contradictoria possunt eidem convenire. **R. I.** *retorquendo arg.* Secundūm Adversarios intellectus in Patre est fœcundus & generat, in filio non est fœcundus, nec generat , & tamen utriusque intellectus est idem tām re, quām ratione. **R. 2.** negando quod de intellectu & voluntate (loquendo de singulis) possint formari propositiones contradictoriæ ; & dico , quod ubique demonstratur intellectus divinus de eo verum est dicere ; hic intellectus generat, & ita

affirmativa est vera, negativa falsa. Si dicas: *Intellectus ille in Patre generat, in Filio non generat:* ergo. R^e. instantiam hanc esse similem ei, quæ sit de corpore in duobus locis replicato, quod in uno loco mihi potest esse vicinum, in alio non vicinum, ex hoc tamen non sequitur, quod sit vicinum & non vicinum, minùs verificat contradictionia; cùm enim vicinitas sit prædicatum dependens à loco, per assignationem loci tollitur contradictionis; ita in proposito contingit; nam persona est quid intimè requisitum ad generationem, & generatio est dependens à persona, conseq. tollitur contradictionis per assignationem personarum.

104. Secunda instantia est de Essentia & existentia: de his enim verificantur contradictionia; quia existentia DEI est naturaliter cognoscibilis, Essentia non; possumus enim de DEO scire quod sit, non vero quid sit, & tamen etiam secundūm Scotistas Essentia, & existentia sunt formaliter idem. Confirm. Singularitas DEI non distinguitur à Natura DEI; & tamen potest aliquis intellectus esse certus de Deitate, & dubius de singularitate; ex qua contradictione Scotus l. d. 3. q. 2. colligit ens distingui à differentijs ex natura rei; & tamen idem id negat de Deitate & singularitate. R^e. ad 1. quod si existentia est de Essentia DEI, qui scit existentiam, scit & Essentiam, & & conseq. cessat illa contradictionis, quod Essen-

tia sit naturaliter incognita, existentia natura-
liter cognita. *Ad Confirm.* R. pariter, quòd
impossibile sit alicui constare plenè de Essentia
DEI, & non constare de singularitate; si au-
tem foret tantùm gradus aliquis essentialis,
nulla est contradic̄tio, quod sciatur ignotis
alijs; quia sic non esset idem ignotum & cog-
nitum. In re autem defactò contingit, quòd
quidam sint certi de Deitate, incerti de sin-
gularitate; quia apprehendunt Deitatem im-
purè, & per conceptum improprium, conseq.
non est mirum, si dubitent de aliquo proprio,
cùm non habeant nisi communem.

142. *Instantia tertia.* DEUS secundùm gra-
dum substantiæ convenit cum lapide, secundùm
gradum viventis non convenit, & tamen per plu-
res Scotistas isti gradus in DEO non distinguuntur
ex natura rei: ergo. *Confirm.* Attributa con-
veniunt inter se, & differunt in ratione talis at-
tributi, & tamen hactenùs nullus ausus est di-
stinguere attributum à tali attributo: ergo. R.
etiam per plures Scotistas gradus superiores
in DEO distingui ab inferioribus, quod non
tām absurdum, quām necessarium videtur.
Idem dic ad confirm. quid enim absurdī, quòd
attributum ut sic dicat aliquid commune plurī-
bus attributis? an quòd persona ut sic sit quid
commune pluribus personis? & tamen hoc ul-
timum plures concedunt Theologi, ut videre

est in Scoto i. d. 25. q. un. & Aug. 7. de Trinit.

143. *Instantia quarta est de concreto & abstracto v. g. homine & humanitate, quæ distinguuntur sola ratione; sed in his debet salvare verificatio contradictiorum, nam concretum, puta homo, est constitutum, & non constitutivum; abstractum, puta humanitas, est constitutivum, non constitutum: ergo.* R^e. relictis alijs responsionibus, cum nostro P. Bonaventura Barone Scotum nullibi docuisse concretum & abstractum distinguui sola ratione & non formaliter, imo quandóque distinguuntur realiter, ut *album & albedo*; primum enim dicit subjectum, secundum formam, quæ duo certè realiter distinguuntur, cùm possint etiam separari.

144. *Instantia quinta. Essentia Divina sub eadem formalitate estradix sapientiae, qua est radix bonitatis, alias ibimus in infinitum: ergo sicut radix bonitatis potest coincidere in eandem formalitatem cum radice sapientiae, et si sint conceptibiles pluribus conceptibus, ita poterit ipsa bonitas coincidere formaliter cum ipsa sapientia. Confirmannia attributa per plures Scotistas existunt una existentiā; hac autem ut est actuatio unius, non est actuatio alterius ex natura rei, & tamen in illa unica existentia non distinguuntur plures actuaciones etiam secundum Scotistas.* R^e. Nego conseq. quia idem manens unum & idem potest esse principium multorum, adeoque non debet esse semper tanta oppositio in principijs, quanta est

in formis, aut effectibus, ut patet 1. in natura, quæ est principium motûs & quietis, & tamen natura non opponitur sibi ipsi, ut motus quieti. 2. ab essentia animæ prodeunt intellectus, & voluntas, quarum una est naturaliter activa, altera libera, nec tamen essentia animæ opponetur sibi, sicut intellectus & voluntas. 3. ab ente, ut est conceptus simplicissimus & omnium primus procedunt illa tria, unum, bonū, verum: ergo liquidissimū est metaphysicè loquendo posse esse pluralitatem in effectu absque distinctione in principio, cùm omnis pluralitas debeat reduci ad unum, cùm non possit dari, aut sanè cogitari processus in infinitum, alias etiam existentia DEI posset vocari in dubium; hoc notato evaneant omnes instantiæ ab Adversarijs afferri solitæ, ut patebit applicanti.

145. Sciendum tamen, quòd sicut omnia resolvuntur ad aliquod primò unum, atque adeò datur primò unum; ita dantur aliqua, quæ sunt primò plura exigentia dividī & distingui, ita ut non possint conciliari, & talia sunt prima genera, quæ dividuntur, & consti-
tuuntur per primas differentias v. g. *ad se*, & *ad aliud*, quæ faciunt absolutū, & respectivum; *in se* & *in alio*, quæ faciunt substantiam & accidens; *liberum*, & *naturale*, quæ dividunt principium ut sic, & similia; unde quandocunque concur-
runt talia, necessè est admittere pluralitatem

& distinctionem, nec sufficit conseq. tracta ab illis prioribus. *Ad confirm.* R. Si unica est omnium attributorum existentia nego con. quia nimirum existentia competit subjectis suis ut sunt res, & non tantum ut formalitates, at verò omnium illorum est una entitas realis: ergo & una existentia, non verò una formalitas. Conseq. manet inconcussum illud axioma: *contradictoria non possunt competere eidem*: quod non tam est Scoti, quam philosophi apud ipsum cit. 7. Top. in primo Them. supra: *ad ostendendum aliqua differre sufficienter probatur per aliquid dici de uno, quod non de alio.* Imò principium hoc est ipsum lumen naturæ, & primus ejus radius, contra quem non potest dari exceptio, aut ulla instantia, ne quidem in creditis & divinis propter quod & *Apostolus ab altissimis mysterijs fidei removet, est, & non,* hoc est, contradictionem illam intolerabilem affirmationis & negationis de eodem: *nunquid levitate usus sum, &c. ut sit apud me, est, & non?* Fidelis autem DEUS, quia sermo noster qui fuit apud vos, non est in illo, est, & non. 2. Corinth. 1. Sed nondum est finis, habent Adversarij adhuc suum effugium, &

146. R. Conantes ostendere, omnia prædicata de natura, & personis Divinis veluti contradictionia à nobis relata, reverè non esse talia, posseque explicari sine contradictione sic:

sic: quia nomen *Essentia*, & *Natura* significant
 tantum DEUM sub ratione infiniti boni conti-
 nentis omnem perfectionem absolutam, ab-
 strahendo à prædicatis relativis, seu persona-
 litatibus. Econtra nomina, *Pater*, *Filius*, *Sp.
 Sanctus* significant DEUM sub ratione illius di-
 stinctionis, & oppositionis, quam DEUS habet
 in personis; abstrahendo iterum ab identitate
 perfectionum absolutarum: re ipsa autem
 DEUM esse identicè & illud bonum infinitum,
 & tres personas realiter distinctas. Hinc di-
 cunt sensum propositionum, quas solent adfer-
 re Scotistæ pro firmanda sua distinctione for-
 mali esse istum: *Essentia Divina est Filius*, id est,
 datur aliqua identitas inter Essentiam & Filium,
 viculus filio communicatur tota ratio infiniti
 boni. *Pater non est Filius*, id est, non datur tan-
 ta identitas inter Patrem & Filium, vi cuius
 excluderetur ex DEO omnis distinctio & op-
 positio realis inter Patrem & Filium, ubi patet
 (inquit) nulla est contradic̄tio; quia iden-
 titas, quæ in prima propositione affirmatur,
 verè datur in DEO; & altera identitas, quæ in
 secunda propositione negatur, verè non datur
 in DEO: ergo non est realiter idem, quod in
 his propositionibus affirmatur, & negatur. Con-
 seq. Confirmant hoc, ut propositio negativa sit
 vera, debet dicere aliquid inter Patrem & Filiū
 non dari, quod reverà non datur; sed identi-
 tas

tas *Essentiæ*, seu communicatio infiniti boni, quæ est inter Patrem, & Naturam, non est id, quod inter Patrem & Filium non detur; cùm Pater & Filius identitate *Essentiæ* verè sint idem; ergo propositio negativa, cùm sit verà non dicit hanc identitatem non dari, sed omnino aliam, quæ scil. tolleret omnem oppositionem realem inter Patrem, & Filium.

147. Ex. 1. Hæc vix non omnia gratis esse conficta; quia ut inquit Gregor. Nazian. orat. 35. *Nec enim Essentiæ nomen est Pater, nec actionis, sed relationem eam indicat, quam Pater erga Filium habet, &c.* ergo cùm absolutum (qualis est *Essentia Divina*) ex genere suo, sit aliud à relatione, qualis est paternitas, &c. ex natura rei, non possunt coincidere in eandem formalitatem; quia hæc est prima & immediata entis divisio. Ex. tamen 2. transeat, quod annotatum est de nominibus *Essentiæ & Naturæ*, ac de nominibus *Patris, & Filij &c.* ea scil. significare *DE U M* priùs, ut abstrahit à personalitatibus, postea vero ut abstrahit ab absolutis perfectionibus: distinctionem tamen inter absoluta & relativa, seu inter *Essentiam & Patrem* refundere in meros conceptus diversos, & abstrahentes planè sustineri non potest: quia si v. g. affirmatio communicationis ac identitatis de Natura Divina ad Filium, & negatio communicationis ac identitatis de paternitate ad eundem filium sunt

sunt veræ tantumodò prout substant diversis
conceptibus, & abstractionibus in hac vita de
DEO formatis , tunc posset aliquis dicere ,
utrámque non esse veram à parte rei , prout
substat earum objectum Intellectui Divino , &
simplici apprehensioni complexæ Beatorum :
Si enim paternitas & Essentia essent *omnino idem* , posset quis pro libitu dicere , & commu-
nicationem esse objectivè veram , aut solam
negationem communicationis , quia Essentia ,
quæ co[m]unicatur , & paternitas , quæ non com-
municatur sunt *omnino idem* objectivè , & à parte
rei ; Hinc sequeretur etiam aut à parte rei com-
municari paternitatem , aut ne naturam quidé:
quod utrūque catholicè falsum est ; & (ut lo-
quitur meus olim ad Seraphicam Relig. colen-
diss. Dux ac promotor) hæreticus , qui hæc dice-
ret , non facile absolveretur , si se defenderet di-
cendo , se loqui in eo sensu , & secundùm veri-
tatem , quæ relucet in Intellectu Divino , & Bea-
torum , non secundùm hallucinationem Viato-
rum , aut secundùm diversa ænigmata nostra .

148. R. 3. conceden. in prima propositio-
ne (prout deducunt benè Adversarij) *Essentia*
est Filius , affirmari aliquam identitatem , quæ
verè datur in DEO ; & in altera *pater seu pater-*
nitas non est filius , negari aliquam identitatem ,
quæ verè non datur in DEO ; & sic utráque
propositio est vera , conseq. non sunt contra-
dicto-

dictoriæ, quæ nunquam possunt esse simul vere. Sed quæro, cur posterior identitas, *paternitas non est filius*, non datur? cùm tamen per Adversarios paternitas sit omnino idem, quod est Essentia? aut igitur objectivè à parte rei dabitur etiam secunda identitas; & tunc de omnino eodem, nempè *Paternitate & Essentia*, ad idem, nempè ad *filium* affirmabitur & negabitur identitas, quod est contradic̄tio; aut si non detur (uti non dari fides docet) debet à parte rei esse alia ratio objectiva *Paternitas*, & alia ratio objectiva *Essentia* quarum prior non fundat indentitatem, & posterior fundat identitatem cum filio: ut adeo affirmatio & negatio, quæ essent de omnino eodem ad idem, scil. de *Paternitate & Essentia*, quæ sunt omnino idem ad eundem filium in utrāque propositione daretur, sed non secundum idem; quia nempè in prima propositione affirmatur identitas secundum prædicatum absolutum, in altera secundum relativum negatur, quæ sunt diversa, non realiter pressæ, ut fides docet: ergo formaliter ex natura rei; aut certè si nulla sit diversitas, dabitur vera contradic̄tio ejusdem de eodem secundum idem, ad idem, pro eodem tempore, seu æternitate, &c. à parte rei.

149. *Ad confir.* dum dicunt, ut propositione negativa *Pater non est Filius* sit vera, debet dicere aliquid inter patrem & filium non dari, quod re-

reverā non detur ; sed id non est identitas inter Essentiam & paternitatem , cùm pater & filius identitate Essentiæ verè sint idem : ergo propositio negativa , nempè *pater non est filius* , cùm sit vera , non dicit hanc identitatem non dari , sed omnino aliam , quæ scil. toleret omnem oppositionem realem inter patrem & filium . *Respondeo* , propositionem negativam omnino dicere , non dari aliam identitatem , quam quæ est inter Essentiam , & patrem , dicit enim non dari identitatem inter relationes divinas sibi oppositas . Sed quero , quænam est ratio fundandi identitatem inter patrem & Essentiam ? & quænam est ratio fundandi non identitatem inter patrem , & filium ? nunquid in priori casu est paternitas & Essentia omnino eadem ? sicut ratio fundandi similitudinem inter album A. & album B. est albedo utriusque omnino similis . Et nunquid in posteriori casu est paternitas & filiatio omnino diversa ? Sicut dissimilitudinis inter album & nigrum ratio fundandi est nigredo , & albedo utriusque omnino dissimilis . Cur autem nigredo cum albedine fundat dissimilitudinem , & non altera albedo ? nisi quia sunt diversa : ergo etiam Paternitas & Essentia non sunt omnino idem , sed diversa , cùm Paternitas cum filio fundet non identitatem ; Essentia , quæ tamen per Adversarios est omnino idem ac Paternitas , fun-

fundat identitatem. Unde cùm illa identitas & non identitas in utráque propositione habeat eandem omnino rationem fundandi, omnino ejusdem, ad omnino idem nempè *Essentia*, quæ est omnino idem ac *Paternitas* ad eundem filium; nec possit dicere secundum rationem fundandi diversam; quia hæc est *Paternitas* & *Essentia*, quæ sunt omnino idem juxta Adversarios: ergo adhuc manet vera contradic̄tio, spectata ratione fundandi prorsus eadem, hinc identitatem, illinc non identitatem, vel negationem prioris identitatis.

150. Manet ergo revera contradic̄tio qua ad rationem fundandi identitatem, & non identitatē quæ debet salvari per aliquam distinctionem actualem à parte rei; nec enim salvari potest per distinctionem rationis tantum ob diversos conceptus: nam si valeret: *Intelligo Essentiam Divinam & paternitatem diversis conceptibus*, scil. illam sub conceptu boni infiniti, hanc sub conceptu relationis ad filium: ergo inter ea non datur alia distinctione, quam rationis. Etiam inferam: *intelligo Patrem, & Filiam, & Sp. Sanctum tribus diversis conceptibus*: ergo tres personæ Divinae non distinguuntur nisi per rationem. Vel aliter: *sensio in lacte dulcedinem & albedinem diversis sensationibus, gustu & visu*: ergo dulcedo & albedo lactis non distinguuntur à parte rei, sed solum prout substantia diversis conceptibus.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An distinctione Scotistica repugnet simplicitati Divinæ?

151. **I**llud dicitur simplex, quod licet distincta includat, omnem tamen compositionem, ex actu & potentia excludit, ut patet in mysterio SS. Trinitatis, in quo realis divinarum personarum distinctione Simplicitytem Divinam non solvit. Unde tria in hac difficultate distinguimus: unitatem, identitatem, & Simplicitytem. Unitati opponitur multiplicitas. Identitati distinctione. Simplicityti compositione. Conseq. non est confundenda unitas, nec identitas cum Simplicityte.

152. Conclusio: distinctione ex natura rei formalis non repugnat Simplicityti Divinæ Prob. I. quia ut duo efficiant compositionem opus est, ut unum distinguatur ab alio realiter, vel faltem non sit perfectè idem cum illo; cum nihil sit in potentia ad se ipsum; quia pars ut componens debet ab altera comparte esse diversa; unde licet compositione necessariò inferat distinctionem, non tamen econtrà distinctione infert compositionem, nisi sit realis; ex quo patet falsum esse, distinctionem formalem suffici-

sufficere ad compositionem metaphysicam; qualis reperitur inter animalitatem & rationalitatem, non enim gradus metaphysici faciunt compositionem ex eo; quod formaliter ab invicem distinguantur, sed quia non sunt perfectè idem realiter inter se, sed tantum ratione tertij in quo uniuntur & identificantur, cùm ergo identitas relationum & attributorum in DEO cum Essentia Divina sit perfectissima ratione infinitatis, cuius munus est in ente infinito identificare illi omne realiter identificabile, talis summa identitas realis excludit omnem compositionem, & componibilitatem. Sed

153. Ob. I. Concil. Later. sub Innocentio III. prout refertur cap. firmiter de summa Trinit. dicit: *firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod unus solus est verus DEUS, &c. tres quidem personæ, sed una Essentia, substantia seu natura simplex omnino;* sed si inter attributa vel ad se, vel ad Essentiam comparata datur distinctio Scotistica, natura DEI non est *simplex omnino:* ergo, &c. Prob. min. Si in natura Divina datur aliqua actualis distinctio, & vera non identitas, datur in eadem actualis, & vera aliqua multitudo, scil. membrorum distinctorum; sed si datur aliqua actualis multitudo in natura, natura non est *simplex omnino;* quia omnimoda simplicitas, & actualis aliqua multitudo, aut distinctio praedicatorum inter

se pugnant: Et hinc in personis divinis qua talibus non datur omnimoda simplicitas; quia datur distinctio & Trinitas: ergo si in natura datur inter attributa, aut alia praedicata distinctio quædam actualis, natura Divina non erit *simplex omnino*.

154. Rq. Hic confundi summam unitatem in DEO cum summa simplicitate: quod fieri non debet: nam summa unitas utique excludit omnem pluralitatem; sed simplicitas tantum excludit compositionem, & omnem componibilitatem (ut probabo n. 155.) cui formaliter opponitur; non verò omnem prorsus pluralitatem rationum formalium, quæ est sola pluralitas secundum quid, & non simpliciter. Deinde summa identitas, in DEO non potest ponni; quia impossibile est ratione praedicatorum contradictiorum, quæ independenter à nostris conceptibus darentur, ut visum est suprà. Sic ergo summa unitas consistit in identitate reali perfectæ omnium in DEO repertorum, & summa simplicitas in negatione omnis compositionis, & componibilitatis, quod clarè tūm ex SS. PP. tūm Theologis, tūm ratione.

155. Patet 1. ex S. Bernardo lib. 5. de considerat. Non est compositus DEUS, merum simplex est &c. 2. ex S. Cyrillo Alexand. lib. 3. thesaure. 2. ubi DEUM appellat simplicissimum, at quo insompsitum. 3. ex S. Basilio lib. 1. contra Eu-

nomium: simplex omnino DEUS est, & incompositus, & penitus liber ab omni compositione, &c. Patet etiam ex hoc, quia omnes Theologi cum S. Thoma quæst. 3. de simplicitate DEI querunt, an DEUS sit corpus, aut compositus ex materia & forma, aut ex Essentia & persona, aut ex Essentia & existentia, aut ex genere & differentia, aut ex subjecto & accidentibus, vel ex partibus integralibus? Et negatis his omnibus compositionibus concludunt DEUM esse summè simplicem; ergo etiam ex unanimi consensu Theologorum simplicitas opponitur compositioni ex multis rebus.

156. Constat etiam ratione naturali, quæ dictat DEO convenire omnem perfectionem simpliciter simplicem, & talem esse illam simplicitatem, quæ fundatur in identitate reali excludente compositionem ex pluribus rebus realiter distinctis, id est, habentibus singillatim propriam existentiam, vel subsistentiam; Evidens etiam est, talem simplicitatem meliorem esse sui opposito, id est, compositione passiva: ideoque S. Anselmus lib. de Incarn. Verbi cap. 3. ait: *Simplicia præstare compositis, quantum ad simplicitatem attinet & compositionem.* Et S. Thom. I. contra gentes cap. 18. *in quolibet genere tanto aliquid est melius, quanto simplicius.* Quod apud nos composita sint meliora simplicibus, est; quia perfectio bonitatis creature non invenitur in

in uno simplici: hinc Mayronius in r. d. 15. q. 3. explicans D. Anselm. ait: *Simplicia præstare compositis, sed cæteris paribus idest, posita eadem perfectione entitativa, seu quoad hanc conditionem;* alioquin mixta sunt perfectiora elementis, & Christ⁹ est perfectior, licet persona ejus sit composita ex duabus naturis, quam merus homo.

157. Si verò *Simplicitas* sumatur non pro perfectione opposita compositioni; sed pro summa identitate, non solum reali, sed etiam formalis (prout Adversarij videntur accipere) negamus illam esse perfectionem simpliciter simplicem; quia non est melior ipsa, quam non ipsa; immo importat maximam imperfectionem, qualis est capacitas contradictiorum, quæ in DEO darentur, nisi aliqua vera non identitas admitteretur, apta à parte rei ad tollendam repugnantiam contradictionis; quod esset contra evidentissimum & primum omnium principium, & idem respectu ejusdem esset & non esset, quam repugnantiam præter alias modos iam superiùs rejectos frustrè conantur evitare alij, dum

158. Respondent, hæc non verificari, *quia natura communicatur filio communicatione faciente unum DEUM, & tres personas, qua etiam communicatione paternitas eidem filio communicatur;* similiter paternitas distinguitur à filio distinctione faciente plures personas, non plures DEOS, qua

etiam distinctione distinguitur natura à filio; unde de natura & paternitate non verificantur praedicata opposita. Contra cum P. Viva part. I. disp. 5. q. 2. n. 3. de Trinit. in hoc labyrintho verborum Adversarij ocultant, non excludunt distinctionem objectivam inter naturam & personalitates; idem enim est dicere, Essentia communicatur filio communicatione faciente unum DEUM, non unam personam, ac dicere, pater communicatur filio essentialiter, non personaliter; sed hoc importat Essentiam Patris communicari filio, non paternitatem: ergo Essentia patris & paternitas verificant contradictoria objectiva. Sicut enim si petrus & paulus ex parte objecti identificarentur formaliter, & distinguerentur numericè; ita ut una esset natura humana in utroque, & duplex hæcceitas, tunc in omnium sententia deberet dari distinctio objectiva inter naturam & hæcceitatem, ad salvanda ista contradictionia: quod natura utriusque sit una, & hæcceitas non sit una; ita cum Pater & Filius identificantur essentialiter, & distinguantur personaliter, dari debet distinctio objectiva inter Essentiam Divinam & personalitates ad salvanda ista contradictionia, quod natura sit una, & personalitas multiplex.

139. Quare simplicitas sumpta pro summa identitate etiam formali est merum ens rationis fictum gratis ab Adversarijs, cum neque in

in SS. PP. habeat fundamentum, & involuat insuper repugnantiam cum luminè naturæ. Et certè si entitati illi toti, quæ DEUS est, ejusque simplicitati non repugnat Trinitas personarum; quia nec est composita in natura, nec ex natura & persona, tanquam ex rebus distinctis, sed habentibus eandem numero existentiam; nec illi quidem repugnare potest *simplex multiplicitas* (ut loquitur S. August.) perfectiōnum formaliter tantum distinctarum, sed eadem numero existentiā cum summa coexistēdi necessitate coexistentium.

160. Ob. 2. Essentia Divina aut continet in se perfectionem attributi alicujus v.g. sapientiæ, aut non? Si continet? habetur intentum. Si non continet? quæro, dum ei additur sapientia, aut perficit Essentiam, aut non perficit? Si perficit: ergo illa continet omnem perfectionem, eritque aliquid cogitabile majus eâ contra. D. Anselmum: nec erit infinita in toto genere entis. Si non perficit? ergo ibi non est sapientia, quia foret superflua. R. Essentiam Divinam realiter sumptam in se continere v.g. sapientiam, idem est de cæteris attributis tām realiter, quām formaliter (sumendo tò formaliter prout opponitur *eminenter*) si verò sumatur formaliter, id est, secundūm mera prædicata essentialia, non; imò neutro modo continet propriè; non realiter quia illa

tunc non sumitur ut res; non formaliter, quia sic excludit ea. *Dum autem querunt Adversarij, an Essentia melius habeat v. g. per sapientiam?* Ex. affirmativè! dum instant illi: ergo non fuit *omne bonum*, &c. *Dico:* quòd sit omne bonum essentiale, quo non potest cogitari majus, non tamen necessè est, quòd sit omne bonum formale, aut omne omnino. Quòd ostendo 1. certum est, quod Essentia Divina non sit bonum creatum nisi virtualiter, quid ergo mirum, quòd non sit attributum, nisi realiter, aut radicaliter. 2. Essentia Divina est infinita in genere entis, & tamen adhuc est substantia, est vivens, intellectualis, &c. 3. quælibet persona Divina cùm sit DEUS, est à se, & imparticipata, & tamen aliqua habet esse ab alio, quod non impedit asseitatem ejus, quid ergo mirum, quòd Essentia Divina sit à se sapiens, sit à se justa, licet per sapientiam, & justitiam aliquo modo distinctas. *Deinde quæro,* an Essentia Divina melius habeat cum Trinitate personarum, an non? si non, non est ibi admittenda Trinitas; si sic, & tamen hæc distinguitur ab Essentia formaliter, à se etiam realiter, poterit etiā melius habere per attributa, licet hæc distinguantur formaliter. Nec petitus hic principium, quòd scil. Trinitas formaliter distinguatur ab Essentia: quia præterquam, quod hoc satis demonstretur à nostris

suo

suo loco, licet quælibet persona identificetur
Essentiæ Divinæ, tamen in his terminis videtur
veritas evidens, quod Trinitas non sit unitas,
& vice versa: ergo. Tandem ex distinctione for-
mali non sequitur aliquid non esse tale, sed so-
lum non esse conceptibile ut tale.

161. Ob. 3. Si inter attributa Divina datur
distinctio Scotistica, datur in ipsa natura novum
mysterium Trinitatis, & quidem longè majoris mul-
titudinis realium prædicatorum, hoc hactenùs est
inauditum in Theologia: ergo, &c. Prob. maj. nam
omnia prædicata attributorum & naturæ sunt rea-
liter identificata cum natura, sicut tres personæ
sunt cum natura identificatæ: & ex altera parte
sunt plurima prædicata contradictionia, quæ, ut
ante dictum est, de distinctis attributis verificantur,
& hoc ipso, quod contradictionia sint, non possunt
magis identificari, quam tres personæ inter se identi-
ficantur: ergo in ipsa natura DEI datur novum
mysterium Trinitatis, & longè majoris multitudi-
nis realium prædicatorum. Idem argumentum
formant alij de pluribus formalitatibus in crea-
tis homine v. g. quod daretur & ibi mysterium
simile Trinitati, quia sicut in Trinitate plures
personæ sunt unus DEUS, ita in ente creato ho-
mene plures formalitates essent una res.

162. R. Ad hoc & similia argumenta, quæ
vocat P. Mastrius Tribunitia, eò quod plau-
sum faciunt apud Vulgus. neg. maj. cuius prob.

antec. quoad alteram partem dist. verificantur plura prædicata contradictionia realia & simpliciter neg. contradictionia formalia & secundum quid conc. antec. & neg. conseq. de quibus contradictionijs vide supra n. 91. solum hic brevissimè ostendo dari quandoque prædicata formalia; dum enim dico v. g. *lapis, non lapis. panis, non pānis*, ideò sunt contradictionia realia, quia *lapis, & panis* sunt *res & res strictè*, & sic correspondens negatio; ut adeò *esse, & non esse*. hic realiter sint distincta. Dum verò dico in DEO *sapientia, non sapientia*, aut in homine *animalitas, non animalitas*, cùm sapientia non sit res in DEO, quia daretur quaternitas; sed tantum ratio formalis & aliqua perfectio DEI; sic correspondens negatio quoque non est res, & hinc *esse, & non esse* animalitatem, est contradictione minor reali, nempe ex natura rei formalis: hinc etiam ipsa multitudo realium prædicatorum in DEO non est multitudo simpliciter & rerum, qualis multitudo est in personis Divinis, sed est multitudo secundumquid & rationum formalium realiter inter se identificatorum, quomodo tamen non sunt inter se identificatæ tres personæ Divinæ.

163. Porrò mysterium SS. Trinitatis in eo est tam admirandum, & inscrutabile, quod eadem numero natura communicetur per identitatem realem tribus realiter distinctis suppositis

sitis Divinis; ita, quod inter Entitatem Divinam vera sit, & propria productio personarum, quibus communicatur **Natura** Divina cum oppositione reali producentis & producti, nec natura numero multiplicetur, uti fit in productione creata. *Item* quod Filius & Sp. Sanctus careant foecunditate producendi alterum filium; & quod Pater per solum actum producendi producat verbum non accidentale, sed sibi consubstantiale, &c. nihil horum videtur in attributis Divinis, aut in pluribus formalitatibus entis creati v.g. hominis: ergo.

164. Ob. 4. Quod compositio ex genere & differentia, si importat solum distinctionem ex natura rei formalem, non repugnaret simplicitati DEI; cum etiam attributa Divina juxtanos distinguantur ex natura rei formaliter: ergo. R. Satis constare ex hac quæst. distinctionem non opponi simplicitati, sed compositiōnem; alias enim DEUS nec esset distinctus personaliter, cum tamen manente simplicitate perfectissima detur distinctio personalis in DEO ex fide. conseq. compositio ex genere & differentia repugnat simplicitati Divinæ quatenus compositione est; non quatenus inter genus & differentia distinctio est. Compositio enim etiam ex genere & differentia arguit imperfectionem in partibus componentibus, ut potè quarum una est perfectibilis & determinabilis per aliam; non

ita se habent attributa Divina, quæ identificantur velut actus purus, & purus sine ulla potentialitate & perfectibilitate.

165. *Dices*: DEUS per Scotistas resolvitur à parte rei in plures conceptus objectivos: ergo necessariò est compositus. *Prob. conseq.* quia omne resolubile componitur ex illis in quæ resolvitur. *Rq. dist. antec.* habentes se ut actus & potentia nego antec. ut actus & actus, qui per suam summam simplicitatem sunt idem concedo. *Si dicas.* ergo ex illis fit unum per accidens seu per aggregationem, quia ex actu & actu non fit unum simpliciter & per se. *Rq. neg. conseq.* prob. est vera in entitatibus limitatis & finitis, quæ non habent totalitatem essentiæ, nec una continet aliam perfectè realiter, conseq. nequit aliam perfectè sibi identificare; non autem in Divinis, ubi vel utriusque extrellum v. g. sapientia & Essentia est infinitum, & Essentia perfectè continet aliud radicaliter; vel saltem unum est infinitum ut Essentia & relatio, &c. ergo. ratione infinitatis potest ex his fieri unum per se unitate identitatis, non compositionis; quia in DEO nihil est incompletū.

166. *Inst.* DEUS nedum est summè simplex, sed etiam summè unus. hinc à S. Bernardo lib. de considerat. c. 6. dicitur unissimus: ergo per distinctionem formalem saltem lèditur summa unitas. *Prob. conseq.* ubi datur pluralitas

litas à parte rei, non solum per modum actus
& potentiae, sed etiam per modum actus &
actus, ibi non datur unitas; sed per Scotistas
datur in DEO pluralitas formalitatum per mo-
dum actuum: ergo. R. dist. antec. DEUS est
summè unus unitate reali in natura conc. uni-
tate formalis, vel personali neg. antec. haec enim
(præterquam, quod non dicant perfectionem
simpliciter ut patet de personali, alias defacto
esset in DEO; de formalis prob. alias albedo
esset perfectior Angelo, cum includat paucio-
ra formaliter distincta) sunt incompossibles
in DEO, ut patuit ex rationibus hactenùs alla-
tis. Præterea perfectiones attributales conti-
nentur in DEO ex natura rei secundum suas
rationes proprias formaliter, & non virtualiter
tantum, & eminenter, aut per nostros
conceptus; alias DEUS non denominaretur
formaliter intelligens, volens, justus, &c. Sed
tantum virtualiter, sicut Sol dicitur calidus &c.

QUÆSTIO V.

*An distinctio ex natura rei formalis
in Divinis sit strictè realis?*

167. **C**onclusio. Distinctio ex natura rei for-
malis in Divinis non est strictè realis.
Patet. quia extrema distinctionis realis debent
esse

esse res, & res; sed attributa Divina inter se & Essentiam comparata non sunt *res* & *res* pressè: ergo distinctio inter ea non est strictè realis. *Tum* quia Essentia Divina secundùm Damascen. est infinitum quoddam substantiæ pelagus: ergo identificat sibi omnia compossibilia, atqui perfectiones attributales sunt compossibiles Essentiæ Divinæ; quia eam perficiunt: ergo, &c. *Tum* quia tunc non tantùm in DEO daretur quaternitas, sed quasi centeneitas contra D. Bernardum: ergo. Hinc

168. Si distinctio nostra foret strictè realis meritò in nos posset retorqueri illud D. Bernardi lib. 5. de considerat. ad Eugen. cap. 7. *Multa dicuntur esse in DEO, & quidem sanè, catholicèque; sed multa unum; alioquin si diversa putamus, non quaternitatem habemus, sed centeneitatem.* Item ibidem. *dicimus DEUM magnum, justum, bonum, & innumera talia; sed nisi omnia unum in DEO, & cum DEO consideres, habebis multiplicem DEUM.* Meritò, inquam, hæc D. Bernardi verba, quæ ipse contra errorem Gilberti scripsit, in nos detorqueri possent, ut adeò in eadem cum ipso essemus damnatione: sed absit! non enim Ecclesia DEI, cui dogmata Doct. Subtilis manifesta facta sunt nimis, per tot sæcula, impunè hanc doctrinam tulisset, quæ adeò effurbuit in Gilbertum & Abbatem Joachimum, astruentes in DEO quaternitatem. Attamen,

Ob.

169. Ob. Adversarij 1. distinctio Scotti ex natura rei, vel est strictè realis, vel prorsus imperceptibilis: ergo inter attributa DEI non datur. Antec. probant ex contradictorijs, quæ etiam nobis fattenibus verificantur v.g. de sapientia & bonitate: bonitas enim est ex natura rei aliquid distinctum à sapientia, & sapientia non est aliquid ex natura rei formaliter distinctum à sapientia, & viceversa; sed si bonitas & sapientia sic se habent, distinguuntur strictè realiter, cùm idem realiter non possit simul esse & non esse: ergo. Confirm. Sapientia, ut est formaliter ex natura rei distincta à bonitate, non est nihil, quia est ipsa quidditas & essentia sapientiae qua talis: ergo sapientia qua talis est ens positivum & vera perfectio DEI. subsumunt. hanc perfectionem sapientia non communicat bonitati; quia secundum hanc formalissimè distinguitur à bonitate: quæ autem non communicant omnem perfectionem & omnem rationem entis distinguuntur strictè realiter: ergo.

170. R. I. nego antec. quoad utrumque membrum. quia extrema distinctionis nostræ hic sunt sapientia & bonitas, quæ non sunt res & res habentes propriam existentiam, sed sunt rationes formales, seu perfectiones, quas in DEO plures dari passim dictum est. Deinde, estò, quòd contradictoria verificantur de sapientia, & bonitate; sed illa sunt contradictoria tantum formalia in præcedent. declarata.

Tandem cùm de sapientia & bonitate verificantur esse & non esse; tò esse non est simpliciter aliquod esse, sicut res existens aut subsistens propria existentia aut subsistentia, quæ fundat distinctionem simpliciter realem, & tò non esse, non est simpliciter aliqua negatio unius de alio; si enim simpliciter diceretur sapientia non est bonitas; propositio esset falsa, & damnata contra Gilbertum; sed dicitur sapientia formaliter non est bonitas, seu ratio bonitatis in quantum bonitas est, non est ratio sapientiae in quantum sapientia est. *Ad confirm.* conc. antec. quòd sapientia ut distincta à bonitate non sit nihil, & dist. conseq. ergo est ens positivum, seu perfectione positiva in DEO conc.. est ens positivum simpliciter, seu res, quæ, si in DEO daretur, faceret quaternitatem nego conseq. subsumpt. etiam dist. sed hanc perfectionem non communicat sapientia bonitati communicatione formalis, seu per identitatem formalem, quæ est major identitate reali conc. non communicat communicatione reali, seu per identitatem realem nego subsumptum, & conseq. verum ergo est, nihil esse in sapientia, quod non sit etiam realiter in bonitate, eiq; communicatum; est tamen in sapientia aliiquid, quod non sit formaliter in bonitate, eique formaliter non communicatum.

171. Dices. *Idem realiter non continetur in se ipso, alias esset idem & non idem; sed attributa continentur realiter per Scotitas in Essentia Divina.* ergo, &c. *R. dist. maj.* idem non continetur in se ipso per veram continentiam, quæ importat distinctionem realem inter continens & contentum conc. per identificationem realem unius formalitatis cum entitate alterius, ut hic fit, nego. *maj.* undè rectius dicuntur esse realiter, quam contineri in Essentia Divina. *Si dicas:* hæc responsio facit distinctionem Scotti planè imperceptibilem; *Si enim omnis realitas, omnis formalitas, & omne prædicatum, quod est in sapientia, realiter etiam est in bonitate, & visissim;* non potest ullo modo explicari ad captum, quid in hac propositione sapientia DEI non est formaliter ex natura rei bonitas DEI, negetur de sapientia? *R.* Cùm hæc sapientia sit Divina & infinita, utique non negari Divinitatem & infinitatem; sed negari rationem formalem sapientiæ, quæ non est ratio formalis bonitatis, cum ex Avicenna, & communi Peripat. *rationes formales non sint nisi ipsæ, in quocunque ente sive finito, sive infinito sint.* Et hæc ratio formalis sapientiæ non negatur simpliciter tanquam res de bonitate; sed cum restrictione secundum quid, & in sensu formalis. Sed

172. *Instabis:* Hic peti principium, quia tò formaliter ex natura rei, explicatur per sensum for-

formalem; qui tamen æquè ignotus est, ac illud *formaliter*: ergo nihil explicatur ad captum; maximè cùm juxta hanc responcionem etiam prædicata contradictoria, quæ suprà ostensa sunt dari inter attributa ex natura rei formaliter distincta, debeant inter se realiter identificari, adeoque *esse*, & *non esse* debeat realiter idem esse; quod Adversarij dicunt sibi penitus imperceptibile, & cum lumine naturæ nullo modo combinabile esse. *R.* In sententia Scoto tinequaquam sequi, quod *esse*, & *non esse* debeat realiter idem esse; quia per admissam distinctionem formalem salvamus, seu tollimus contradictionem, quæ esset, nisi distinctio datur, ut notavimus suprà. *Deinde* si *esse* & *non esse* verificetur (uti verificatur apud nos) secundùm diversas rationes formales; tunc non est imperceptibile, aut lumini naturali repugnans, ejusmodi *esse*, & *non esse* realiter identificari, sic enim *esse*, & *non esse* sunt tantùm diverse rationes formales objectivæ, quas identificari in multis videmus; imò ipse Arist. definiens identitatem dixit: *identitas est plurium, seu quasi plurium in Essentia unitas.* Cæterùm hactenùs sufficienter explicatum est, quid intelligatur per *tò formaliter*, & per *sensum formalem*. Quòd si tamen necdum sufficeret; credo hic contingere Scoto Doct. subtili, quod olim Christo Matth. 19. querulanti: *non omnes*

capiant verbum istud, sed quibus datum est. Sed quænam hujus ratio? insufficientia? P. Ricciolius è S. J. dat hanc; si nempè Adversarij inveteratam suam opinionem aliquantisper deponerent, & æquis rationum momentis opinionem Scoti librare sustinerent, vim suam Scotica opinio apud eos non amisisset, aut amitteret; sed sufficienter ad captum foret.

173. Ob. 2. Perfectibile & perfectivum distinguuntur realiter, quia nihil est perfectivum sui ipsius; sed attributa per Scotistas sunt perfectiones Essentiæ Divinæ: ergo ab ea debent distingui realiter. R. *diss. maj.* Si perfectivum se habet per modum formæ informantis subjectum, vel partis componentis totum, sicut anima cum corpore constituit vivens conc. Si sit tantum formalitas afficiens subjectum, quod perficitur per modum proprietatis & perfectionis intrinsecæ nego maj. attributa autem non perficiunt Essentiam Divinam per modum formæ informantis, aut partis componentis, sed tantum per modum formalitatis & perfectionis intrinsecæ Essentiam Divinam determinantis, & perficientis hoc vel illo modo v. g. sapientia in ratione sapientis: ergo non denominat per modum formæ informantis, sed per identitatem; quia ut acutè Scotus in I. d. 18. q. 4. X. declarat considerans perfectiones, & imperfectiones formæ creatæ in ratione denominandi,

nam quod sit forma informans, & pars compositi est imperfectionis, quod vero sit ratio, qua aliquid est formaliter tale, est perfectionis, & in hoc sensu attributa dicuntur formæ Essentiæ Divinæ.

174. Ob. 3. Personæ Divinæ ut distinctæ ab Essentia habent proprias existentias: ergo distinguuntur ab ea realiter strictè sicut *res* & *res* *neg. antec.* quia in DEO non datur stricta distinctio realis, nisi ubi obviat relationum oppositio. *Tum* quia licet habeant proprias subsistentias relativas personæ divinæ quibus distinguuntur inter se realiter, non tamen habent propriam existentiam, sicut non habent propriam singillatim Essentiam & naturam divinam, conseq. existunt eadem numero existentia, & actualitate, quam natura divina; nec multiplicatis personis multiplicantur existentiæ, nec Pater dat Filio duas existentias, unam absolutam, & alteram relativam, sed unicam, quæ includitur in Essentia divina.

175. Dices. Natura Divina secundum Scotistas subsistit subsistentiâ absolutâ, & persona subsistentiâ relativâ, sed etiam secundum Scotistas, quæ habent diversas subsistentias distinguuntur ut *res*, & *res*: ergo natura divina, & personalitas distinguuntur strictè realiter. *R. D. st. min.* quæ habent diversas subsistentias incomunicabiliter distinguuntur realiter conc.

conc. min. quæ habent diversas subsistentias communicabiliter neg. min. Deinde etiam ob hanc rationem natura Divina & personalitas non distinguuntur realiter; quia natura divina ratione infinitatis radicalis, quam habet, perfectè sibi identificat realiter omne secum compossible; ideo non facit numerum cum personalitatibus realiter sibi identificatis, conseq. nec quaternitas rerum in DEO infertur, aut distinctio realis stricta.

176. Ob. 4. Ideò perfectiones divinæ distinguuntur formaliter, quia una posset concipi sine alia saltem per DEUM, aut intellectum Beati, sed & hoc falsum est, quia DEUS nequit se ipsum cognoscere sine attributis, aut unum sine alio: ergo ruit principalis ratio Scoti. R. Breviter, quod quantum est de se, possit Essentia concipi sine attributis, & unum attributum sine alio, tam ab intellectu creato, quam divino: repugnantia tamen est ex parte intellectus divini; quia licet præcisio talis fieri possit sine mendacio, non tamen sine aliqua imperfectione, omnino repugnante intellectui divino, qui ob suam infinitatem unico actu comprehensivo cognoscit omnia simul, sive objecta sint inter se realiter distincta; sive formaliter tantum. Ratio hujus est omniscientia DEI, virtute cuius unum sine altero cognoscere non potest. Prætereo plura Ad-

versariorum argumenta, quæ ex hactenùs dictis facilè solui possunt.

Qui tamen plura desiderat, adeat nostrum Patrem Fridericum Stumelium in suo primo & perenni mobili de distinctione formali, aliosque majoris notæ Scotistas ; aut si his hoc in negotio fides ægrè datur, dabitur certè P. Joan. Bapt. Ricciolio è S. J. qui argumen-ta contra distinctionem Scotisticam militan-tia soluit ultra 40. hæc igitur, dum ego omit-to, eo remitto, ubi nihil non solutum repe-ries.

O. A. M. D. G. E. B. V. H.



QUOD-

QUODLIBETA
EX
UNIVERSA SCOTI
THEOLOGICA.

1. **T**heologia Viatrix simpli-
citer practica, 2. Non tamē
in rigore scientia, 3. Nec scientiæ
Beatorum propriè subalternata, 4.
Habet pro objecto DEUM sub-
ratione Deitatis. 5. Existentia est
prædicatum quidditativum DEI,
6. Cujus dari nequit ignorantia in-
vincibilis. 7. Ratio ultimò constitu-
tiva & distinctiva Naturæ Divi-
næ est Asseitas. 8. Inter Essentiam
Divinam & personalitates, sicut
& inter attributa datur distinctio
ex natura rei formalis. 9. Nequit
DEUS videri oculo corporeo etiam
supernaturaliter, 10. Benè tamen in-
tellectu elevato per lumen gloriæ

clarè & intuitivè. 11. Possibilis est
species impressa Essentiæ Divinæ
distinctè repræsentativa ejusdem,
12. Sicut & visio intuitiva DEI
absque lumine gloriæ habituali,
concurrente specialiter DEO extrin-
secè ; 13. Imò absolutè potest videri
una Persona non visâ alterâ, Essen-
tia sine attributis, & unum attri-
butum sine alio. 14. Intellectus per-
fectior cum æquali lumine gloriæ
elicit perfectiorem visionem. 15.
DEUS scientia visionis videt om-
nia futura libera contingentia seu
absoluta, seu conditionata in De-
creto concomitante suæ voluntatis.
16. Non datur scientia media, 17.
Nec Decretum prædeterminans. 18.
Mysterium SS. Trinitatis nequit
naturaliter demonstrari. 19. Perso-
næ Divinæ non constituuntur &
di-

distinguuntur proprietatibus abso-
lutis, sed relativis. 20. Natura Di-
vina ut præscindit à personis habet
propriam subsistentiam absolutam.
21. Personalitates in suo conceptu
formali non dicunt perfectionem
simpliciter simplicem & infinitam.
22. Data hypothesi impossibili, quod
Sp. Sanctus à solo Patre procederet,
ad huc à Filio realiter distinguere-
tur. 23. Angelus est substantia merè
spiritualis incomposita ex materia
& forma physice. 24. Possibiles sunt,
imò defactò dantur plures Angeli
sub eadem specie atque a solo nume-
ro diversi, 25. Ratio fundamentalis,
per quam sunt in loco, non est opera-
tio eorum, sed substantia actualiter
existens. 26. Potest unus Divinitus
occupare duo loca adæquata. 27.
Item cognoscere etiam naturaliter.

secreta cordium ; 28. Defacto tam
men non cognoscit. 29. Primum pec-
catum Angeli fuit philautia , seu
inordinatus amor sui. 30. Ignis in-
fernalis non exercet in Angelos dam-
natos actionem realem & physi-
cam urendi, & calefaciendi ; 31.
Sed præcisè cruciantur ab igne in-
tentionaliter, quatenus ignis sua
actione intentionaliter causat in ipsis
summam tristitiam ob duplarem
alligationem seu detentionem, lo-
calem scil., & objectivam, & sic
ab illis nauseatam, 32. Præter actus
moraliter bonos & malos dantur
etiam indifferentes, tam secundum
speciem , quam individuum. 33.
Actus exterior superaddit distinctam
bonitatem, vel malitiam actui in-
terno. 34. Inter sententias verè theo-
logicè probabiles licetè quis sequitur
minùs

minus probabilem relicta probabi-
liore. 35. Peccatum, quod est dictū
factū, vel concupitum contra Legem
DEI æternam, 36. Non habet
gravitatem simpliciter infinitam,
sed tantum secundūm quid. 37. B.
V. Maria semper fuit immunis à
peccato originali. 38. Possibile
fuit naturam humanam uniri Ver-
bo in unitate suppositi, 39. Natu-
raliter tamen cognitione evidenti
nullus intellectus creatus potuit co-
gnoscere possibilitatem, aut existen-
tiam Incarnationis Verbi Divini.
40. Creatio Animæ Christi, & ge-
neratio humanitatis Christi, ac
eiusdem cum Verbo unio fuerunt
tres realiter distinctæ actiones. 41.
Verbum Divinum terminat natu-
ram humanam mediante subsisten-
tia relativa. 42. Plures Personæ
non

non possunt simile eandem naturam
assumere, 43. Benè tamen ab una
eadēmque Persona plures naturæ
simil sunt terminabiles. 44. Non
tantum natura humana & ratio-
nalis, sed etiam irrationalis fuit
assumptibilis à Verbo immediate.
45. Incarnatio non fuit simpliciter
necessaria etiam supposito hominis
lapsu; 46. Neque ex hypothesi,
quod DEUS hominem lapsum re-
stituere & salvare decreverit. 47.
Potuisset pura creatura plenitudine
gratiae, & donorum supernatura-
lium instructa à DEO satisfacere de
potentia absoluta DEI ad æquali-
tatem, & ex condigno pro pecca-
tis generis humani. 48. Satisfa-
ctio Christi non fuit ex toto rigore
justitiae ex defectu quarundam
conditionum ad rigorosam justi-
tiam

tiam concurrentium, 49. Fuit ta-
men ex proprio & intrinseco valore
non solum sufficiens, & condigna,
sed etiam superabundans. 50. Chri-
stus venisset, etiam si Adam non
peccasset, & quidem vi præsentis
decreti. 51. Meritum Christi Do-
mini ex infinita dignitate personæ
merentis non reddebatur simplici-
ter, & absolutè infinitum; 52.
Sed tantum secundum quid, qua-
tenus est altioris ordinis, imò al-
tissimi in æstimabilitate & excel-
lentia sua. 53. Sacra menta non
causant gratiam physicè, sed tan-
tum moraliter. 54. Principes
Christiani possunt licetè infidelium
subditorum infantes baptizare.
55. Sacramentum Eucharistiæ in-
trinsecè, & in recto solas species
panis & vini importat. 56. Cor-
pus

*pus & Sanguis Christi, quæ in eo
continentur, nec totaliter, nec par-
tialiter tanquam partes intrinsecè
illud constituunt. 57. Aqua affu-
sa immedieè convertitur in vinum;
in sanguinem verò medieè tan-
tum. 58. Non datur Sacramen-
tum pœnitentiae validum & infor-
me. 59. Circumstantiæ merè ag-
gravantes intra eandem speciem
per se loquendo non sunt necessariò
confitendæ. 60. Etiam de licen-
tia pœnitentis nequit à Confessario
revelari peccatum.*

O. A. M. D. G. E. B. V. H.



